




M· CONR· NAHMMACHERI
RECTORIS SCHOLAE OPPID· HELMSTADIENSIS
ET SVBPRIORIS COENOBII
MARIEVALL

COMMENTARIVS
DE
LITERATVRA ROMANA



BRVNSVIGAE
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI
ANN· CIƆIƆCCLVIII

PRAEFATIO

MANSVETIORES literae ſua ſe omnibus ſuauitate, ac item vtilitate vberi, commendant. Nam, qui in his profectus non leues aut contemnendos fecit; commodius etiam multo ac dexterius, in aliis verſabitur rebus pernoſcendis; et caſtum ſermonis, vna cum dicendi commoditate, ad ſolidiorem tranſferet doctrinam.

Immo, quaqua in ſcientia, natiuae harum literarum et domeſticae ſuauitatis, odorem ſparget gratum. Ergo ad humanitatis literas, veluti quoddam omnis eruditionis emporium, legum confluunt interpretes, et praeſidia inde iuris ac ornamenta petunt. Meditor iam haec commemorans, magnam fauſtitatem, quae inde ad omnes, qui in hoc terrarum tractu commorantur redit: quum, non tantum in imis ſubſelliis; non in porticubus vnice ac auditionibus, aliquo bonae literae loco habentur: ſed aditus etiam ipſis ad AVGVSTISSIMI PRINCIPIS, qui in deliciis orbis terrarum eſt, adminiſtros; et eos

adeo,

adeo, qui ad imperii clauum ſedent, quos multis omnes religionibus proſequor, patet. Ac in Literaturae etiam omnis aſſertoribus Illuſtris eſt WEICHMANNVS, quem virum dexterrimum, fama olim ſuperſtes penna metuente ſolui aget: vtpote cuius egregiis in eccleſiam et rempublicam meritis; quidam ex literis humanitatis veluti nitor, ac aliquod ornamentum accedit. Theologi et ipſi, ex bonis literis, Exegeſeos ſacrae et omnis Theologiae adminicula arceſſunt. Suſpicio eo nomine ac veneror Illuſtriſſimum Regis Angliae Conſiliarium regiminis DE LAFFERT, virum conſummati iudicii et multarum

imaginum; quum me voluit monitum, vt ne posthabitis bonis literis, vnam Sophiam in Theologiae adminiculis reponerem. Ac vniuerse quidem literas, quibus ab humanitate nomen est, Theologiae etiam sanctae inseruire, procliue plurimis videbitur esse. Sed id specia-tim etiam de Literatura, quam hoc propofui in scripto valere; vix poterit his, qui eam ne imis quidem digitis attigerunt, persuaderi. Iam, quum eo vnice animo huic arti aliquanto fuerim intentus, vt etiam ex hac, quaedam transferre ad diuiniorem doctrinam emolumenta possim: e re videtur esse, quaedam de vsu praefari, quem Theo-

logiae

logiae cultor, ex intimiori Literaturae omnis cognitione percipere poteſt.

EMERGIT autem inde vtilitas haec, vt quo loco, quaue aetate codices ſacrae ſcripturae fuerint exarati, intelligi poſſit. Veteris Inſtrumenti codices Hebraica lingua exſcripti; aut inferioris condicionis hominibus debentur, idque literae produnt minuſculae; forma minor, et omnis ſcripturae habitus contractior: aut ab Iudaeis illuſtriori in loco poſitis, Naſci vocantur aç Principes, ſunt conſignati. quod vnciales arguunt literae; forma maior, et accuratio in literarum ductibus efformandis. Interim ad eum tamen ornatum et ſplendo-

rem non assurgunt, qui vnius legis codicibus conuolutis, et in Synagogarum vsum scriptis, est conciliatus. Atque in illis quidem, quos primo loco commemoraui, σφάλματα se multa offerunt: reliqui optimae plerumque sunt notae. In iis autem, vnde colligitur vetustum quendam codicem et antiquum esse, potiora sunt haec. Primo, quando scriptura aliquem prae se nitorem, coniunctum prisca cum simplicitate, fert. Dein, quando vno omnia ductu, vna serie, perscripta sunt. Ipsi enim Iudaeorum Cabbalistae fatentur, priscis temporibus totam legem omni distinctionis nota fuisse destitutam, et vnum

vel-

veluti פסוק ſeu verſum; immo unam תיבה ſeu vocem conſtituiſſe. Ea ſunt ratione quidam libri, in Dreſdenſi Regio codice ſcripti. quod, ſi in omnibus obtineret; longe antiquiſſimus ille eſſet cenſendus. Porro, ſi quis vniuerſae ſcripturae codex omni Maſora caſſus ſuppeteret; ille vltra BEN ASCHER et BEN NEPHTHALI aetatem, qua adiicere Maſoram textui coeptum eſt, videretur aſſurgere: ſed hoc in conuolutis, qui vnice תורה continent, minime valet: quippe qui nudi fere omnes et ſimplices reperiuntur eſſe. Iam codices, qui ſola ſunt Maſora parua inſtructi, velut mediae, vt IABLONSKI opina-

tur, aetatis sunt. Potest autem codex vtraque donatus Masora, vetustus omnino esse; si aliena sit Masora ab adulterino ornatu, et lineis se rectis commendet. Sed codices variegati picturis; hominum, animantium, florum et sphingum figuris exornati, merito ad recentiores reiiciuntur. Huc Bibliothecae Marchionis Badensis exemplum spectat, quo MAXIMILIANVS I CAPNIVM donauit: Hebraicus Erfordiensis Bibliothecae codex cum Targum, a BARVCH et MENEMINONE scriptus: alius manu SAMVELIS BAR ABRAHAM exaratus, rel. Tandem IABLONSKI id pariter in criteriis vetusti refert codicis; quan-

quando caſſus eſt τῷ Keri, ſeu lectione marginali; et vnum adeo Ketibh, ſeu lectio textus obtinet: enimuero, recentioribus id etiam in codicibus deſideratur. Ex ſingularum inſuper literarum ductu, colligi codicis aetas ac finiri aliquo modo poteſt. Qua in re vſurpari magna cum vtilitate poterunt, ſcripturae Orientalis atque Occidentalis characteres, quos EDVARDVS BERNHARDVS, ad ſaeculorum ordinem ſingulari in tabula dedit. Nullus autem probauerim, eum e charactere Samaritano eos deducere fategiſſe. Scripturae autem compendia BVXTORFIVS interpretatus eſt. Conſiderandum etiam, vtrum minu-

minuſculae literae maiuſculis frequenter miſtae fuerint, nec ne; et vtrum ſuſpenſae ac inuerſae crebris occurrant vicibus, aut rarius ſe offerant. Hoc enim vetuſtiorem eſſe codicem, illud recentiorem arguit. Exempli eſſe loco poſſunt, quae, IOH. GOTTLOB CARPZOVIVS, eccleſiarum Lubecenſium ſummus Praeſul, Theologorum huius ſaeculi facile princeps, in *Critica ſacra Veteris Teſtamenti*, Dreſdenſi e codice, ab ſe verſato, propoſuit. Non vna tamen e conſuetudine, hanc literarum formae diſcrepantis vſurpationem eſſe repetendam, AVGVSTVS PFEIFFER in *Criticae ſacrae* ſectione ſecunda pro-

problematica, quaeſtione IIII oſtendit. Saeculo XI, quum Caliphae Saracenici, Iudaeorum in metropoli Babylonica ſcholas euerſiſſent omnes; in Hiſpaniam ſe Iudaeorum Critici contulerunt. Hinc codices Hiſpanici aliis ſunt emendatiores. Iam quo dignoſci modo ab aliis ac diſcerni poſſint, e Literatura intelligitur. Nempe Hiſpanici quadrato ſunt charactere, ac eleganti forma exarati: Maſoram exhibent ſimpliciter deſcriptam; atque deſtituti ſunt lineis, in animalium, aut plantarum figuras ductis. Eſt autem RICHARDVS SIMON auctor, hoſce codices *Conſtantinopoli duntaxat, Theſſalonicae,*

et

et in aliis plagae Orientalis vrbibus, ad quas Iudaei ex Hispania depulsi se receperunt, haberi. Gallici vero et Italici, rotundiorum aliquanto prae se scriptum ferunt. Alamannici Gothicas imitantur literas. cuius generis duo Venetiis codices asseruantur. Iam si ANGELVS ROCHA et FINVS ADRIANVS ea tenuissent omnia; incidere in lubricam illam sententiam non potuissent, codicem Bononiensem, AYMERICO, Dominicanorum ordinis Praefecto ac Magistro, sub initium saeculi XIIII dono oblatum, in ESDRAE αὐτογράφοις esse. Nec potest etiam fieri, quin in auias se errorum solitudines proripiat, qui omni destitu-

tus

tus Literatura, vna ex ſubſcriptione, quae ne adeſt quidem ſemper, diiudicare codices manuſcriptos volet. Nam in Pentateucho Florentino legitur: ſcripta haec ſunt ab ISAAC F. MANAHHEM HANIKDAN, qui et puncta adiecit, die XXIIII menſis Adar, anni a creatione CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ LI. Sed ex ſcripturae habitu cogitur, mille ad minimum annis recentiorem eum eſſe, quam ſubſcriptio fert. Accedit hoc, commentarium RASI, qui ſaeculo XII vixit, ei eſſe adiectum. Eodem modo in Pentateucho Bibliothecae Electoris Brandenburgici; in Bibliis Mediolanenſibus et aliis, ſubſcriptio in mendo cubat. Ceterum

nega-

negauerim prorſus, id antiquitatis eſſe, quando codices orbi ſunt punctis. quod inane ſcitamentum LVDOVICI CAPELLI errori patrocinatur. Ac conuoluti quidem codices, qui, ſi ab Haphtharoth volumine ſynagogico recedas, punctis carent omnes; hac in quaeſtione in cenſum non veniunt: quod Iudaei, propter repertas צירופים ſeu multiplices combinationes Cabbaliſticas, et peruerſam, quae inde enata fuit, ſcripturae interpraetandae rationem, puncta repudiarunt. cuius rei R. BECHAI, in ביאור על התורה ſuppetit teſtimonium. Atque quoniam א׳ ו׳ י׳, matres lectionis vocant, multo plurimis in loquelis deſint,

vbi

vbi ſcribendae fuiſſent; in dubium iam vocari nequit, conuolutos eſſe codices, ex his, in quibus vocales conſonis fuerint ſubiectae, deſcriptos. In aliis autem codicibus vetuſtis, non multo minor eſt eorum numerus, in quibus vocales pariter ac conſonae eadem manu chartae fuerunt illitae: quam in quibus id ſecus eſt factum. HILLELIS enim codex Toleti aſſeruatus, qui hodie quidem iam non ſuperat, vocalibus aeque ac accentibus inſtructus fuit: nam KIMCHIVS refert in eo vocem ודרשו (Pſalm. CVIIII, 10) cum Kametz lato legi: item in loquela תשומת Patach eſſe literae ם ſubiectum obſeruat. Et qui R. SAADIA iu-

iudicare de vocalibus punctis potuisset; nisi codices ipsi punctati suppetiissent. Exstant autem vel hodie, in Bibliotheca S. LAVRENTII Biblia, Ann. cIↄCCCXCVII scripta; in quorum fine SALOMON filius HHASDAI totidem verbis affirmat, se puncta etiam vocalia adiecisse. Obtinent quoque vocales in codice Bibliothecae Marchionis Badensis. cuius iam antea mentionem feci. Item in Pentateucho saeculi, vt opinor, XIII, qui in almae Iuliae Carolinae Bibliotheca asseruatur. Mancus ille ab initio est, ac in literis Beghadhkephath linea Raphe superne adiecta conspicitur: In Florentino etiam codice, de cuius subscriptione adulterina antea

expo-

expoſui, puncta ſunt eodem quo vocales tempore exarata. Idem in Cantabrigienſi, et aliis codicibus multis obſeruatur

GRAECIS in codicibus aeſtimandis, eo eſt maior ſolertia adhibenda; quum ANASTASIVS Sinaita auctor eſt in ὁδηγῷ: Seuerianum quendam haereticum XIIII librarios numis emiſſe, vt codices manuſcriptos corrumperent, atque in fauorem haereſeos ſuae fingerent. Enimuero nihil officere nefandum iſtud coeptum, ſacrarum literarum integritati potuit. quae Dei eſt gratia. Vna autem ex Literatura qualis ſit codex, et quo loco habendus intelli-

gitur. Ea enim tradit codices omnium vetuſtiſſimos ad inſcriptionum characteres propius accedere; atque ad hos exigi quodammodo poſſe; et codicem quemque vetuſtiſſimum, vnciali, quadrato vel rotundo charactere, eſſe exſcriptum oportere. Primum eius ſcripturae ſpecimen in Colbertino codice exſtat. e cuius viginti et duobus, quae hodie ſuperant foliis, vnum BERNARDO DE MONTFAVCON a D. DESMARETIO dono fuit datum. Saeculo autem VIIII deſitum fere eſt vncialibus literis ſcribere: niſi vt in libris ad vſum chori deputatis, ſaeculo adhuc X obtinuerint. Literatura hoc etiam anti-

antiquitatis perdocet esse, quando codex sine omni est verborum distinctione scriptus, vt Cantabrigiensis, Euangelia et Apostolorum gesta continens: vel in capita descriptus non est, vt Palatinus Noui Testamenti codex: vel στιχηρῶς procedit; sed longe alia ratione, quam cuius ROBERTVS STEPHANVS auctor est. Exempli esse vice Regius epistolarum PAVLLI codex, qui ad saeculum VII spectat, potest. Praecipue tenendum, quo characteres modo misti saeculo VIIII et X, (hoc enim aeuo id frequentissime vsu venit,) fuerint. Ostendit id ipsum MONTFAVCON ex codicibus Florentino ac Bononiensi. Scri-

pturae insuper compendia sunt respicienda. Ac ante saeculum VIIII parum sunt frequenter vsurpata: ex eo autem tempore magna eorum veluti seges inhorruit. Ad monocondilia autem quod attinet, nescio an vllo in codice sacrarum literarum reperiantur. Porro, e verborum interpunctis aetas potest codicis Sacrarum Literarum colligi. Magnae autem est vetustatis, quando τελεία στιγμή, ὑποστιγμή ac μέση στιγμή apparent: aut quamque vocem punctum consequitur, vt in Psalterio monasterii S. MICHAELIS in Lotharingia, SEDVLII SCOTTI manu saeculo VIIII exarato. Nec non si tria cui-

cuique voci puncta fuerint adiecta. quod tamen MONTFAVCON in vno saltem titulo inscriptionis Baudelotianae, repererit. Considerandum etiam, vtrum rotunda sint puncta, an vero quadra; an in rhombi degenerauerint et trianguli formas. Accentuum apud priscos ratio ansam eruditis disceptandi praebuit. Nota sunt HENRICI CHRISTIANI HENNINII ac IOHANNIS DANIELIS MAIORIS, qui recentiorem accentuum vsum carpunt, scripta. quorum sensa denuo D. GALLY recoxit. Nota est lis, eam ob rem, inter MIRTISBVM SARPEDONIVM Italum, et STANISLAVM VELASTVM, oborta. Ac illi

quidem, quibus placet, alium fuisse apud priſcos, alium apud recentiores, accentuum vſum; hunc ad MENANDRI aetatem, SVIDAM in partes vocantes, referunt. Quicquid eius rei ſit; ei, qui Noui Teſtamenti codices ad temporum rationem exigere volet, tenendum erit, ſaeculorum V et VI codices accentibus omnino carere: VII autem ſaeculo ſparſim eos occurrere. Qua in re D. GALLY, (ille enim auctor eſt libri, cui inſcriptum: *Diſſertation againſt pronuncing the greek Language according to accents,*) habeo conſentientem. ait enim, codicem ſaeculi VIII, qui in Fano S. Germani aſſeruatur, in his, quibus

bus accentus suo sunt ab scriptore adiecti, vetustissimum esse. Suppetit etiam codex Iesuitarum collegii LVDOVICI Magni; isque vncialibus literis, (E autem O et Σ literae aliquanto a prisca rotunditate deflectunt,) exaratus; quem et ipsum saeculi esse VIII MONTFAVCON vicit: in quo accentus pariter atque spiritus, eodem sunt quo textus tempore scripti. Quinto autem iam et sexto saeculo I et Y literis, quando alii non iungantur vocali, puncta duo sunt superiecta. Saeculo VIIII vnicum punctum literis imminens acuti, grauis et flexi vices sustinuit, quod in Psalterio ante commemorato conspi-

citur. flexi etiam nota, annuli interdum dimidiati formam refert, vt in Regio saeculi VII codice: cui tamen recentiori aetate accentus videntur adiecti esse. Idem etiam obseruatur in membranaceo saeculi X codice elegantissimo. qui iam in Magnifici et S. V. viri IO. BENEDICTI CARPZOVII, quem honoris caussa nomino, libris est reperiundus. A Saeculo inde XII spiritus interdum supini se in codicibus offerunt: vt et spiritus atque accentus vno ductu exarati

QVI vim obelo, antigrapho, asterisco, cet. subiectam ignorauerit. Prophetarum codicem saeculi X, qui Romae in Bibliotheca Chiggiana habetur,

et

et alium eiusdem Bibliothecae codicem vetustum, legere non poterit: nec Hexaplorum etiam, quas MONTFAVCON dedit reliquias. in quibus lemnisco etiam et hypolemnisco ORIGENES est vsus. Immo, ne HIERONYMVM quidem intelligere recte poterit; nisi quid virgula sit ac obelus; nec BASILIVM, nisi quonam insit veru, penitus perspexerit. Iam, qui omni fuerit notarum intelligentia destitutus; facile sibi persuaderi patietur, Psalterium aureis capitellis decentissime scriptum, quod Argentinae est; Armenica esse lingua, vt fert indocti cuiusdam hominis superscriptio, exaratum: quum tamen TVL-

LII

LII et CYPRIANI, vt TRITHEMIVS refert, notis fuerit exſcriptum

SI literarum demutatio ad Literaturam ſpectat; vna Literatura VOSSII error, qui tantum Hebraici codicis auctoritati detrahit, quantum conuerſioni τῶν LXX Alexandrinorum attribuit, retundi poterit ac conuelli. Pſalmo enim XVIIII, 4, ד cum ר permutarunt: IES. XXVI, 14, רפאים legerunt pro רְפָאִים: IES. XXXVIII, 14, י repoſuerunt pro ו, cet. Atque, quum ex lectione textus Hebraici his in locis commodus; ex τῶν LXX Seniorum autem, incommodus, et abhorrens etiam ex parte a fidei amuſſi ſenſus, eruitur: neceſſum eſt, vt οἱ

LXX

LXX Hebraico cedant, VOSSIO etiam inuito, codici. Literaturae quoque ex parte eſt de variantibus videre lectionibus. quales ſunt. Veteri in Teſtamento BEN ASCHER et BEN NEPHTHALI. in codice antiquo Bibliothecae Bodleianae; et alio Oratorianae; item in Florentino et aliis codicibus reperiundae: Nouo in Teſtamento quaſdam in IO. MILLII et RICHARDI BENTLEII editionibus reperies. Tandem Literaturae eſt, vtrum MATH. XVIIII, 24, κάμηλος, an vero κάμιλος: num MARC. XII, 3, ἔδειραν aut ἔδηραν: vtrum ROM. VIIII, 3, ἀνάθεμα vel ἀνάθημα, ſcribendum ſit, finire

ATQVE

ATQVE haec ſi quis conſiderauerit, vitio mihi iam non vertet, vt hoc potiſſimum ſcribendi argumentum delegerim; a quo, vt nunc ſunt tempora, tantum non omnes abhorrent. Supplex autem ſancto ſum atque immortali Deo, qui efficiat, vt qualecunque hoc ſcriptum in nominis ſui gloriam, et aliquem etiam alumnorum humanitatis vſum cedat. Sempiternus ei ſit honos, et peremnis, per CHRISTVM ſoſpitatorem, gloria

COMMEN-

COMMENTARII
DE LITERATVRA ROMANA

SECTIO I
DE LITERATVRAE ROMANAE PRAECOGNITIS

CAPVT I
DE LITERATVRAE APVD ROMANOS FATIS

I

SI QVA ars variam fuit mutabilemque fortunam experta: ea ſane Literatura eſt. quam et iuſtam dixeris ſcriptionem ac eloquutionem. CICERO (a) enim atque QVINCTILIANVS (b) caſco-

(a) In *Orat. cap. XLVIII*

(b) *Lib. I, cap. VII.* Item *Lib. IX, cap. vlt.* POLYBII Megalopolitani eiuſdem rei teſtimonium addi poterat, qui, quum de literis, quas ad Carthaginienſes Romani miſerant, earumque ſcriptione expoſuiſſet, Τηλικαύτη γὰρ, inquit, ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τοῖς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν. *Namque ea eſt dialecti, veterum Romanorum et recentiorum diſcrepantia: vt vel doctiſſimi etiam homines, qui induſtrius eas literas ſcrutantur, vix erue-*

cascorum Romanorum Literaturam considerantes, non vniuerse modo, eam consuetudini inseruire; sed ipsas etiam literarum, in quibus potissimum occupatur formas, vna cum potestate ipsis subiecta, multis esse modis immutatas, fuere fassi. Quae autem horum duumuirorum aeuo in scriptu obtinuit accuratio: neglecta prorsus cadente Latinitate, et, vt ita dicam, pessumdata est. Iam in antiquum rediit scriptio, et coepit aliquanto coli: sed abit quoque iterum, vt nunc sunt tempora ruitque in peius. Itaque non erit omnino, vt opinor, inutile aut superuacaneum Literatura initiando, nouisse, quae fuerit huius artis origo; quae incrementa, quae decrementa, quo tempore, quibusque auctoribus, ceperit

II

LITERATVRA, vniuerse spectata, ex eo inde tempore, quo literae fuerunt repertae, in artibus est habita. Illae autem vbinam gentium et qua mundi aetate, exclusae fuerint; non omnino exploratum habetur. PHILO, AVGVSTINVS, IOHANN. PETR. ERICVS, ABRAHAMVS BVCHOLCERVS, atque alii, ADAMO literas debe-

ri

eruere sensum ex scriptionibus cascis, et ne vix quidem possint

ri putarunt. Hinc columnis Sethianis et libris ante diluuium compositis, locus datus: hinc creditum, Hispanica in Bibliotheca, quae in Scoriali custoditur, ADAMI *Hymnos*, eiusdemque de *Dei Praeceptionibus* librum, asseruari. Sed meris verbis, nullis rationibus pugnant hi, qui ad ADAMVM literas referunt. Si enim SVIDAM vocare in partes volent, qui in Ἀδὰμ, τοῦτο τέχναι, inquit, καὶ γράμματα, operam perdent: quod ille SETHVM etiam ac ABRAHAMVM in literarum auctoribus reposuit. PLINIVS *semper arbitratus est, literas Assyrias fuisse*; aut plane *aeternum* earum *vsum* esse. ISIDORVS ABRAHAMVM literas reperiisse perhibet: contra ea SIMPLICIVS commemorat, CALLISTHENEM obseruationes Chaldaeorum ab annis cIↄIↄCCCCIII ante ALEXANDRI tempora, adeoque ducentis ante ABRAHAMVM natum annis, in Graeciam misisse. Phoenices, qui ipsi Chananaei sunt, multis literas effinxisse ac efformasse videntur: in quibus CVRTIVS ac LVCANVS principes sunt. Immo PLINIVS etiam, *gentem Phoenicum in gloria magna literarum inuentionis fuisse*, refert. ANTICLIDES, eodem auctore, monumentis euincere annisus est, MENONA quindecim annis ante PHORONEVM literas in Aegypto inuenisse. Iam quum PHORONEVS, INACHI et MELIS-

SAE filius, parenti A. M. cIↃcIↃCXLIII succeſſit: iſtud ſane ad A.M.cIↃcIↃCXXVIII, et quintum annum poſt ABRAHAMI obitum, foret referendum. Nec ſpecies huic ſententiae veri deeſt, quum alii etiam bene multi, in Aegypto literas excluſas eſſe, ſciſcunt: nempe illi omnes qui MERCVRIVM, quem Aegyptii THVTH, vt CICERO (c) commemorat, vel TAAVTVM conuocant, literarum auctorem dicunt, vt praeter CICERONEM, DIODORVS SICVLVS, PLATO, IOHANN. PIERIVS VALERIANVS, IVLIVS HYGINVS, ARNOBIVS, LACTANTIVS, alii. Neque omnino etiam aliena ab hac, ea eſt opinio, quam S. R. CHRIST. AVG. HEVMANNVS in *Actis Philoſophorum* variis argumentis (d) communiuit; nempe haec, ea

(c) *Lib. III de Nat. Deor. cap. XXII.* PLATO etiam refert, Deum nomine THEVTH ab Aegyptiis coli, quod Literas inuenerit. Eam quoque ob rem *Cynocephalus ſacer* MERCVRIO *erat, ſi quid ſcribendo cognationem ſuam approbaſſet.* Vid. IOHAN. PIERIVM VALERIANVM in *Hieroglyphica Lib. VI, p. 71.* Edit. Francof. ad Moen. Ann. 1678

(d) Praecipuum eſt, quia in ſacra ſcriptura קִרְיַת־סֵפֶר occurrit, vnde colligitur, libros hac in vrbe fuiſſe aſſeruatos, & literarum ortum ac ſatum, multis retro annis quaerendum; quod breui Bibliothecae com-

ea aetate, qua IACOBI posteritas in Aegypto est versata, literas fausto omine inuentas esse. (e) Poterant autem diuersae istae opiniones magnam partem inter se conciliari, si dicas, Assyriis iam esse de literis cogitatum: Phoenices vagas quasdam formas, & parum loquelis indicandis accommodatas, effinxisse; MENONAM ac MERCVRIVM eas ad tenue elimasse: eo autem tempore, quo IACOBI posteritas apud Aegyptios commorata est, literas (f) vsu aliquanto diuulgatas esse. Vt enim iam de Typographia inuenienda Ann. cIↄCCCCXL fuit cogitatum, & tamen vsque ad Ann. cIↄCCCCLVII, non nisi quinque informia Typographiae tentamina, in quibus *Speculum Salutis* est, prodierunt: ac inse-

comparari nequeunt. Vid. IACOBVM BASNAGIVM in *Historia Iudaica, Lib. VI, cap. V, Paragr. I.* NIC. HIERON. GVNDLINGIVM in interpretatione *Consp.* S. V. HEVMANNI *Tom. I, p. 254. et 255.* Ceterum IACOBVS in Aegyptum A. M. 2238 venit

(e) Sunt et aliae doctorum hominum de literarum inuentoribus sententiae. Alii enim NOACHVM, Syros alii, alii MOSEN literas inuenisse contendunt

(f) Quaestio, num literae primae, et lingua adeo antiquissima Hebraea sit, huius non est loci. IOHAN. BVXTORFIVS diligenter eam extricauit. *Differt. IIII de Literarum Hebraicarum genuina Antiquitate.* quam omnino vide

quentibus demum annis latius est dissemi-nata: ita literae etiam, ante potuerunt esse inuentae; quam vsu receptae sunt. Atque vt nihil derogat Typographiae inuentoribus, Sinenses iam ante eam artem inuentam, tabulis fuisse insculptis, teste ANGEL. ROCCH, vsos: Ita Aegyptii literarum inuentores dici poterunt: si etiam vel maxime verum sit, Assyrios olim et Chananaeos inconditas quasdam formas adhibuisse. Pergam ad Graecas literas. Videtur autem CECROPS, Atheniensium rex, literas ex Aegypto in Graeciam transtulisse: fuit enim ex Sai vrbe Aegypti oriundus. Idem Graecas etiam literas ex Hebraicis exsculpsisse perhibetur. Inde *geminum* eum OVIDIVS videtur dixisse; alii eundem *διφυῆ* (g) conuocarunt. Si hoc sumas,

(g) NICETVS, Scholiastes Graecus, in commentario ad *Orat.* XX GREGORII NAZIANZENI, quaedam ea de re attulit, quae IACOBVS BILLIVS in hunc modum conuertit: CECROPS *rex fuit Athenarum, qui magnopere Atticam exornauit. Vocabatur autem διφυὴς, quod duas linguas calleret. Graecam et Aegyptiam. Ferunt enim Athenienses Aegyptiorum colonos fuisse a Saensibus oriundos. Dux autem coloniae fuit hic* CECROPS: *qui ad Aegyptiae linguae cognitionem Graecae quoque peritiam adiunxit.* Vid. GREGORIVS NAZIANZENVS, *Opp. Tom. II, p.* 779. Edit. Paris. Ann. 1530.

ſumas, ea in epocha Graecae literae erunt inuentae, qua MOSES apud IETHRONEM commoratus eſt: capeſſiuit enim CECROPS regnum A. M. cIↄcIↄCCCLXIIII, idque quinquaginta annis tenuit. Deinde CADMVS, EVROPAM quaeſiturus, in Graeciam venit, et CECROPIS inſiſtens veſtigiis, ita Graecanicam Literaturam emendauit ac perpoliuit, ut ſedecim eſſet literis inſtructa. (h) Atque hoc ad IOSVAE tempora ſpectat: anno enim cIↄcIↄIↄXX Graeciam ſe CADMVS, peragrata Syria contulit. Ipſe HERODOTVS, ſe CADMEAS literas in AMPHITRYONIS, (i) HIPPOCOONTIS et LAODAMANTIS inſcriptionibus

1530. Alii hoc ad LINVM, APOLLINIS ex TERPSICHORA filium Thebanum, referunt. De quo SVIDAS: Λέγεται δὲ πρῶτος οὗτος ὑπὸ Φοινίκης Ἕλλησι (γράμματα) ἀγαγεῖν. *Ferunt hunc primum ex Phoenicia ad Graecos* literas *transtuliſſe.* Idem TACITVS, *Annal. Lib. XI, p. 171* (ed. LIPSII,) refert. Ceterum de CECROPE gemino, vid. OVID. *Lib. II Metamorph. v. 555*, et quae annotata hunc ad locum ſunt, in BORCHARDI CNIPPINGII edit. Amſtel Ann. 1702

(h) Vid. PLINIVM, *Lib. VII, p. LVI* IOHANNES BOCCACIVS, hoc ad PHOENICEM fratrem CADMI videtur retuliſſe. Vid. eius *Genealogiam Lib. II, fol. XX.* Excuſus iſte liber eſt Pariſiis 1511

(i) Vixit ille circa aetatem LAII, CADMI pronepotis. vid. DIONYS. PETAVIVM in *Rationar. temp. Part. I, Lib. I, p. m. 43*

bus vidisse, memoriae in TERPSICHORE prodidit. Sedecim Cadmeis, *Troiano bello* PELAMEDEM *adiecisse quatuor hac figura* ΘΞΦΧ: *totidem post eum* SIMONIDEM *Melicum* ZΗΨΩ, PLINIVS refert. Missis his videamus, quae propius hanc quam tueor caussam attingunt; nimirum, quae literarum Latinarum fuerit origo: quam vniuerse e Graecis esse repetendam, PLINIVS (k) et TACITVS affirmant. Debetur autem NICOSTRATAE, quae et CARMENTA est, quod carmine oracula ederet conuocata, iste honos, vt Latinas e Graecis literas effinxerit. Locuples eius rei testis HYGINVS. (*) EVANDER, venerabilis vir miracu-

(k) *Veteres Graecas fuisse easdem pene,* inquit, *quae nunc sunt Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris, quae est hodie in Palatio, dono principum* MINERVAE *dicata in Bibliotheca, cum inscriptione tali,* Ναυσικράτης Τισαμένυ Ἀθηναῖος κόρας καὶ (subaudi δεσποίνας) Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν. NAVSICRATES, TISAMENI, ita verte, *filius, Atheniensis, virgini ac* dominae MINERVAE *haec suspendebat. Lib. VII, cap. LVIII*

(*) *Literas,* inquit *cap. CCLXXVII,* EVANDRVS *profugus ex Arcadia in Italiam transtulit: quas mater eius* CARMENTA *in Latinas commutauit.* Idem ISIDORVS opinatur, *Lib. I, cap. I.* DIONYSIVS HALICARNASSENSIS Nymphae huic inde esse nomen CARMENTAE putat, quod Nymphae nomen Graeca lingua Θεσπιῳδὸς dicitur. *Antiq. Lib. I, p. m. 35.*

raculo literarum, sexaginta ferme annis ante bellum Troianum, id est Ann. cIↄcIↄIↄCXCVIII, repertas a matre literas, ex Arcadia in Italiam transtulit. quod TACITVS, ISIDORVS, MARIVS VICTORINVS, (l) atque alii testatum dederunt. MAXIMVS autem VICTORINVS ab HERCVLE *in Italiam a Pelasgis* literas esse *allatas* putat. CYPRIANVS id SATVRNO, Aboriginum regi, tribuit. SATVRNI autem et EVANDRI gesta frequenter inter se commutari, ab IOH. IACOBO HOFFMANNO est obseruatum

III

COLVMNA rostrata, quae C. DVILIO, postquam A. V. C. CCCCXLIII Carthagini-

35. Idem THEMIN eam condictam esse refert. Vid. etiam quae de hac fatiloqua SERVIVS ad VIRGIL. *Lib. VIII Aeneidos*, *v. 68*, *p. 60* (Ed. Venet.) est commentatus. De sacris ipsi Romae factis, vid. SOLINVS, *cap. II*

(l) *Repertores literarum*, inquit, CADMVS *ex Phoenice in Graeciam*, *et* EVANDER *ad nos transtulerunt*. *Lib. I*, *p. 2468* (in collect. PVTSCHII.) Conf. TACITVM, *Lib. XI*, *Annal. p. 171.* Pulsis ille Aboriginibus, Pallanteum, a PALLANTE proauo ita dictum, in Palatino monte condidit. Vid. VIRGIL. *Lib. VIII Aeneid. v. 100.* IVSTINVM, *Lib. XLIII*, *cap. I.* LIVIVM, *Lib. I*, *cap. VII.* DIONYSIVM HALICARN. l. c

ginienſium claſſem, caudicariis apud Liparas nauibus diſſipauerat atque merſerat; eſt dedicata: antiquiſſimum omnino Latinae linguae, quod hodie quidem ſuperat, monumentum eſt. (m) Ex eo autem patet, Q literam tum iam repertam fuiſſe, quum tamen VARRO, teſte PRISCIANO, eam in literis non habuit: k literam tum ciuitate Latina donatam nondum fuiſſe. In nummis autem AVGVSTO imperante cuſis et monumentis etiam ſaepe occurrit. Auctorem eius SALVIVM eſſe PETRVS DIACONVS; ISIDORVS autem SALLVSTIVM, referunt. Porro, eodem ex monumento colligitur, x literam eo tempore obtinuiſſe, licet plurima DIOMEDES ac PAVLLVS DIACONVS contra dicant: Y Graiumenum ignotum Romanis fuiſſe: G pariter lite-

(m) PETRVS CIACCONIVS illud monumentum aliqua eſt illuſtratione proſequutus, in *Opuſculis* Romae Ann. 1608. editis. De DVILII geſtis, FLORVS *Lib. II, cap. II*, quaedam retulit. Atque ea graphice LAVRENTIVS BEGERVS, in editione librorum Flori II, eſt interpretatus. vid. etiam POLYBIVM, *Lib. II Hiſtor. cap. XXIII.* Numos DVILII HVBERTVS GOLTZIVS in *Faſtis*, *p. 68 n. 8. et p. 87, n. 1.* exhibuit. Meam etiam qualemcunque operam, huic ſcriptioni interpretandae commodaui in *Schedio de Columna Roſtrata* C. DVILI M. F. COS, et iam in eo ſum, vt idem argumentum continuem

ſiteram prorſus ea aetate ignoratam. Inuenit eam SPVRIVS CARBILIVS. Praeter haec, Z in recentioribus eſſe literis habendam, vt et Aeolicum digamma atque antiſigma,quibus CLAVDIVS Literaturam donauit atque auxit: H antiquam non eſſe literam, aut nullam potius. VARRO, PONTANVS, alii, auctores. I quantitate porrectum fuiſſe eductum; literas nullas geminatas: biuocales ſeparatim ſcriptas: punctum ad mediam literae partem eleuatum, cuique fuiſſe loquelae, excepta ea quae lineam finiret, admotum. cet. Haec fuit Literaturae, Olympiade CXXX facies ſulcata rugis atque inculta. Sunt enim in columnae roſtratae baſi multo plures literae commutatae iuxta ac miſtae. Idem in aliis etiam multis inſcriptionibus reperies, ita tamen, vt, quo propius ad CICERONIS et mediam auream aetatem accedant; eo minus habeant, quod neglectum Literaturae arguit

IIII

NVMI qui DVILII ſuperent aetatem ſuppetunt. Nempe in ROMVLVM, qui Ann. IIII Olympiadis VI, A. D. XL KAL. MAII condere vrbem coepit; diemque vrbis Romae natalem, quidam fuere numi excuſi, vt apud GOLTZIVM (n) ROMVLI

(n) In *Faſtis p. 1, n. 2.* Eadem pagina alios duo ROMV-

MVLI exhibetur numus, in cuius altera parte lupa, quae submissas ROMVLO et REMO fratribus mammas praebet, et regii pecoris magister FAVSTVLVS adstans, conspiciuntur: cum inscriptione spirali: SEX· ꟼO· M· FOSTVLVS. In ima effigiei parte scriptum ROMA. Ea huius numi pars quae auersa est, ipsum ROMVLVM refert tauris instantem. Epigraphe haec est: ROMVLO CONDITORI. Hoc ex numo potest intelligi, P literam olim non fuisse linea lunata instructam; sed eam, quae rectae est superne iniecta, angulum retulisse, hunc ad modum ꟼ. quae figura in TITI etiam TATII, aliorumque numis videre est: O pro AV biuocali in FOSTVLVS exaratum, cet. Compendiis scripturae multum veteres tribuisse, ex TVLLI HOSTILII numo apparet, in quo, S. SV. ꟼIC. GABA habetur. Haec speciminis loco anticipasse sufficiat. In manuscriptis nullum omnino est, quod ad hanc aut DVILII aetatem pertineat

AVGV-

ROMVLI numos inuenies. Vid. BEGERVM, in *Thes. Brand. Tom. II, p.* 575; et PATINVM, in *Imper. Roman. numism. p.* 2, edit. Argent. Ann. 1671

AVGVSTEO iam in saeculo, quod inde ab A. V. C. IↃXXXVI ad Ann. IↃCCLXVII, id est Ann. XIIII Christianitatis, ducitur; fuere iam, qui integros de Literatura libros componerent. Atque C. LVCILLIVS, (o) magnus ille Auruncae alumnus est; cui iste ab ISIDORO honos tribuitur, vt primus de recte scribendi scientia exposuerit. ait enim: *Orthographiam, id est scripturam, contra imperitiam Librariorum* LVCILLIVS *Poeta primum scripsit.* TERENTIVS VARRO quingentorum, si fas est credere, librorum auctor, *aperuit* et ipse, *quibus literis oporteat scribi.* (p) Ordinauit

(o) HIERONYMVS *in Chronico* natum ipsum esse Olymp. 153 refert. Atque ille est, qui primus stili condidit nasum, id est satyras scripsit. Vid. PLINIVS in *praef. Hist. nat.* QVINCTILIANVS *Lib. X, cap.* 1 item *Lib. XVII, XXI.* HORATIVS *Lib. I, Satyr. X. Satyrarum* eius *quae supersunt reliquiae, cum notis* FRANC. IANI F. DOVSA. Lugd. Bat. Ann. 1597 editae sunt. Reperies etiam quaedam LVCILLII, in *Fragmentis veterum Poetarum Latinorum, quorum opera non extant.* Ex offic. HENR. STEPHANI, Ann. 1564

(p) Haec ipsius VARRONIS verba sunt, quae habentur *Lib. VI de L. L. p. m.* 23. CLAVDIVS etiam DAVSQVIVS, VARRONEM peculiari in scripto Orthographiam tradidisse asserit, atque PRISCIANVM pro teste adhibet. Videtur

dinauit iste Literator defluentes annos ab A. V. C. IↃXXXVIII. MARCVS VALERIVS CORVINVS MESSALA, qui centesimum attigit annum, *quosdam totos libellos non de verbis modo singulis sed de literis etiam*, inprimis de S litera, *dedit.* (q) PVBLIVS NIGIDIVS FIGVLVS, (r) Romae ciuitatis doctis-

tur autem PRISCIANVS libros de *Verborum Similitudine* intellexisse, quos FABRICIVS ad XXIIII de L. L. pertinuisse putat. *Bibl. Lat. p. 82.* Vid. DAVSQVIVM *Tom. I, p. 2.* Obiit autem VARRO A. V. C. 726

(q) QVINCTILIANVS, *Instit. Orat. Lib I, cap. VII, p. 41.* Edit. GESNERI. Coruinum autem ipsi nomen inde fuit impositum, quoniam coruus ab solis ortu galeae ipsius insedit, quum GALLVM incesseret. Vid. VOSSIVS *de Orig. et Progr. Idololatriae, Lib. I, cap. XXVIII*, qui mauult eum CORVVM quam CORVINVM dici. Conf. A. GELLIVM, *Lib. VIIII, cap. XI*: CICERONEM in CAT. M. *cap. XVII.* Ceterum, liber *de Progenie* AVGVSTI, qui ei vulgo attribuitur, spurius est et suffectus

(r) Figlinum nomen, ex commento de rota figulari traxit. Vid. D. AVGVSTINVS *de Ciuitate Dei Lib. V, cap. III, n. A.* Edit. Bas. per ADAM PETRI de LANGENDORFF Ann. 1515, sine foliorum notis. Dignum etiam commemoratu videtur esse, NIGIDIVM eodem quo nasceretur OCTAVIVS die, de imperio ipsius fuisse diuinatum; eumque in exilium ob hanc esse caussam actum, quia POMPEII

doctissimus, in exilio A. V. C. IↃCCVIIII fatis est functus. A. GELLIVS eius scripta in Orthographicis quaestionibus quam frequentissime excitat. TVLLIVS etiam CICERO, (s) qui A. V. C. IↃCXLVII in lucem est editus, eo videtur nomine commendandus esse, quia multis scriptionem modis emendauit, et auctor aliis exstitit, vt sibi ab Archaismorum naeuis cauerent. Pergam ad argenteam Latinitatis aetatem, quae procedit ab aerae Christianae Ann. XIIII, vsque ad Ann. CXVII. Primus se mihi MARCVS VERRIVS FLACCVS, qui TIBERIO vixit imperante, offert. *Libris* ipsius *de Orthographia* SCRIBONIVS APHRODISVS *rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque eius.* (t) DOMITIANO impe-

PEII a partibus steterat. Quae autem hinc inde apud auctores ex NIGIDII *Annalibus*; e libro de *Tonitruum Significatione; de Augurio et Ventis*, atque de *Sphaeris* occurrunt: magna IANVS RVTGERSIVS dexteritate collegit, variisque ea lectionibus instruxit, *Lib. III*, *cap. XVI*.

(s) Exemplum vide, in *Orat. cap. XLVIII*

(t) SVETONIVS *de Illustr. Grammat. cap. XVII, p. 718*, edit. CAROLI PATINI, traiecti ad Rhenum Ann. 1708. Reposui *libris* ex CASAVBONI auctoritate, cui *libros* satis Latinum esse non videtur. Praefectus hic libertinus CAIO et LVCIO ab AVGVSTO fuit; eoque est numero habi-

imperii fasces tenente, FABIVS QVINCTILIANVS caput exeruit; qui in septimo libri primi *Institutionum* capite, de Orthographia exposuit. Huc etiam referendi *duo libri de Literis Syllabisque*, quos LVCIVS COTTA, *non Poetae sed posterioris* ENNII *esse* arguit. Auctor SVETONIVS. TERENTIANVS MAVRVS, Niliacae Sienes praeses, TRAIANI aeuo floruit: cuius, *de Litera*, *Syllabis*, *Pedibus* et *Metris* libri, hodienum in PVTSCHII *veterum Grammaticorum* collectione habentur. Huc ANNAEVM CORNVTVM (v) Grammaticum retu-

habitus, vt ipsi statua Praeneste (non *prope Vestae* vt quidam volunt) fuerit dedicata. Fragmenta eiusdem apud DIONYSIVM GOTHOFREDVM, *p. 110, s.* habentur. Contraxit etiam quosdam ex VERRII libris SEXTVS POMPEIVS FESTVS in libro de *Verborum Significatione*, cuius fragmenta apud eundem GOTHOFREDVM *p. 118* exstant. Vid de VERRIO, GELLIVS *Lib. IIII, cap. V.* MACROBIVS *Saturnal. cap. VI.* VOSSIVS *de Hist. Lat. Lib. I, cap. XX, p. 105*

(v) Quae SVIDAS; MACROBIVS *Lib. V, cap. VIIII;* EVSEBIVS *in Chronico;* A. GELLIVS *Lib. II, cap. VI,* et *Lib. VIIII, cap. X,* de CORNVTO commemorant; ita sunt comparata, vt vix et ne vix quidem ad vnum referri possint: temporum enim ratio obstat. quod VOSSIVS, *de Hist. L. Lib. I, cap. XXVI, p. 136. s.* demonstrauit. Literaturae quae superant excerpta

lerim. Eum autem alium esse puto ac Leptitem Sophum, quem NERO in exilium fugauit. Tandem AVLVS etiam GELLIVS (x) in censum venit: sunt enim in *Noctibus Atticis*, ab se elucubratis, multo plurima, quae ad Literaturam faciant reperiunda. Floruit sub TRAIANO et HADRIANO, et tempora ANTONINORVM attigit. His auctoribus, magnam Literatura ad accurationem adducta est atque euecta. Sed consequente aetate, quam aeneam vocant, sensim defloruit, et nitorem suum aliquanto amisit. Pertinet autem huc interuallum temporis, ab A. C. CXVII, vsque ad A. C. CCCCX. Fuere tamen hac aetate bene multi, qui eam veluti suffulserint egregiis scriptionibus, ne penitus corrueret. In his VELIVS est LONGVS, cui vetus Scholiastes ASPERI etiam cognomentum tribuit. Scripsit de *Orthographia* (y) sub HADRIANO, quo etiam

cerpta apud CASSIODORVM *cap. I. edit.* PVTSCH. *p. 2275* leguntur. Ceterum, in VIRGILIVM eum commentatum esse A. GELLIVS, *Lib. II, cap. VI* refert

(x) Placet, cum LVPO Ferrariensi, A. GELLIVS legere, non AGELLIVS, quasi ab *agro*. Vid. DAVSQVIVM *Tom. II, p. 23.* Ceterum duabus est a GRONOVIO vicibus editus

(y) Exhibet eius scriptum PVTSCHIVS *p. 2214.* quo e libro omnia fere

etiam imperatore regnante, TERENTIVS SCAVRVS (z) de eodem argumento quaedam literis consignauit. Forsan coaeuus ipsi, aut antiquior etiam eo Grammaticus est FLAVIVS CAPER, (aa) qui et ipse Literaturae conscribendae operam locauit. AGROETIVS, (bb) *Orthographiae* auctor, natus est A. C. CCCLI, et, sub IOVIANO et VALENTINIANO imperatoribus, animum ad scribendum appulit. Ab A. C. CCCCX ferrea aetas, ac deinde figlina, ad renatas vsque literas veluti noctem et caliginem Literaturae obduxit. Hac aetate MARTIANVS MINEVS FELIX CAPELLA, (cc) et LEONE quidem Thraco regnum tenen-

fere mutuatus est ISIDORVS Hispalensis, *Lib. I Orig. cap. 26.* Vid. FABRIC. *p. 797*

(z) Librum ipsius ad THESEVM, ex BONGARSIO PVTSCHIVS descripsit, *p 2250*

(aa) Antiquissimum eum Grammaticum FABRICIVS vocat. Scripta eius apud PVTSCHIVM *p. 2239 s.* et *2247. s.* inuenies

(bb) Suppetunt eius scriptiones, *de Orthographia, Proprietate et Differentia Sermonis*, in PVTSCHII collectione *p. 2266.* Apud GOTHOFREDVM quaedam eius excerpta extant. Videtur autem Orthographia eius supplementum scriptionis CAPRI esse

(cc) Proconsulari dignitate fuit auctus: et CAPELLAE autem nomen ipsi ob ingenii aciem fuisse impositum IACOBVS GADDIVS opinatur. Ipse liber, quem composuit, editus

tenente, floruit. Eius autem ſcripta cadentem maxime Latinitatem arguunt, vnde barbarus a SCALIGERO dicitur. Hac circiter epocha, aut paullo infra eam, CVRTIVS VALERIANVS, PAPIRIANVS, (dd) ADAMANTIVS MARTYRIVS, CAESELLIVS, (ee) et LVCIVS CAECILIVS VINDEX videntur vixiſſe: curate enim id definire non eſt. Proxime PRISCIANVM, qui ſub IVSTINIANO magnam eſt famam conſequutus, praeceſſerunt, FLAVIVS SOSIPATER CHARISIVS (ff) et DIOMEDES.

tus eſt ab HVGONE GROTIO, quum 14 eſſet annorum. Lugd. Bat. Ann. 1599. Vid. FABRICIVM *p. 640.* VOSSIVM *l. c. p. 712 ſq*

(dd) Illum PAPYRIVM etiam praetextatum dici, FABRICIVS monet. Excitauit autem eum PRISCIANVS, *Lib. I, p. 554* et *556:* item, *Lib. XII, p. 948.* CASSIODORVS quaedam ex eo, ſuam in Orthographiam transſtulit

(ee) Orthographi ipſe elogio exornatus eſt. Vid. FABRIC. *p. 794.* Quod vero ad ſcripta eius attinet; vel hodie quaedam eius excerpta apud CASSIODORVM exſtant: apud quem quatuor etiam capita ex ADAMANTIO MARTYRIO depromta reperies

(ff) Flauium ipſi a Patrono nomen eſt; et nomen etiam CHRISTO, gentis humanae ſoſpitatori, perhibetur dediſſe. Liber eius, qui huc facit, editus eſt ab IANO PARRHASIO Ann. 1523. Apud PVTSCHIVM autem primum inter Grammaticos locum occupat

DES. In discipulis eius EYTICHES (gg) claruit. Atque hi omnes aut integros de Literatura libros composuerunt; aut quibusdam in capitibus de ea egerunt. MARIVS etiam et MAXIMVS VICTORINI, in hanc artem sunt commentati, vt nihil iam de DONATO, quem ISIDORVS passim est sequutus, PHOCA, M. VALERIO PROBO, PETRO DIACONO, aliisque, qui huc referri poterant, dicam. MAGNVS autem AVRELIVS CASSIODORVS Senator, qui A.C.IↃLXXV sub IVSTINO iuniore obiit, praetereundus non est; quod libri quem composuit materiem, ex aliis nouem Orthographiae scriptoribus mutuatus est. (hh) ISI-

(gg) Dedit, praeter ea, quae sua CASSIODORVS fecit, duo etiam *de discernendis Coniugationibus* libros, quos CRATERO dedicauit. Vide eos apud PVTSCHIVM, *p. 2143*

(hh) Nomina ipsorum in antecedentibus iam attuli. Vid. FABRIC. *p. 794*. Reperies autem Patricii huius, e celebri BRVTORVM gente oriundi *Orthographiam*, apud PVTSCHIVM *p. 2275*. Opera eius IOH. GARETIVS Rothomagi Ann. 1679 edidit. Primo quidem Cassiodorus THEODORICI, Gothorum regis, praeceptor fuit et Cancellarius: dein Ann. 514 consul est creatus. Rebus autem Gothicis inclinatis, in Vinariense Monasterium ab se exstructum secessit. obiit Ann. 562. Ergo immane quantum a vero abest KIRCHERVS, qui Saeculo III Christianismi eum vixisse opinatur. SCI-

ISIDORVS, (ii) Hiſpalenſis Epiſcopus, vt ad hunc deueniam, quaedam de Orthographia ſuis inſeruit libris. Oppetiit A. C. IↃCXXXVI, HERACLIO regnum moderante. Tandem BEDA (kk) etiam venerabilis, qui A. C. IↃCCLIII ſub LEONE ISAVRICO mortuus eſt, *Orthographiam* exarauit

SCIPIO MAFFEI, quaſdam ex eius ſcriptionibus, quae in deperditis ſunt habitae, luci expoſuit. De vita CASSIODORI vid. P. DIACONVM, in *Hiſt. Lomb. Lib. I, cap. XXV.* et VOSSIVM, *de Hiſt. L. Lib. II, cap. XIX, p. 237*

(ii) Iunior etiam hic Seuerianides eſt condictus, vt a Cordubenſi ISIDORO, qui ſub HONORIO vixit, dignoſci poſſit. Praefuit ipſe Toletanae Synodo. Pertinent autem huc, *Libri I Originum* ſiue *Etymologiarum cap. XIIII de Voce*, quod apud DIONYSIVM GOTHOFREDVM in *Auct. L.L. p. 820*, inuenies: *cap. XV de Syllaba*, ibidem: *cap. XVII de Accentibus, p. 832: cap. XVIII, de Figuris Accentuum, p. 833: cap. XVIIII de Poſitura* ibidem: *cap. XXVI de Orthographia, p. 838*: nec non ſex capita *de Notis, p. 834 ſeq.* LVCAS TVDENSIS vitam eius deſcripſit in *Sanctorum Actis*: item VOSSIVS, *p. 263, ſeq.*

(kk) Habetur apud PVTSCHIVM *p. 2327.* Alius libellus BEDAE, vulgo inſcriptus de *Orthographia*, qui in BEDAE venerabilis Operibus aliquando editus eſt, apud eundem p. 2775 reperitur

VENTVM est ad restauratores Literaturae et recentiores eiusdem assertores. Saeculo autem XV, quum pro suo quisque arbitratu rerum vocabula exscriberet, IOH. IOVIANVS PONTANVS, (ll) duo de *Aspiratione* libros euulgauit, et facem aliis, vt scriptum emendarent, praetulit. quo etiam aeuo DESIDERIVS ERASMVS, *Dialogum de recta Latini Graecique Sermonis Pronunciatione* perscripsit. Insequenti saeculo, ALDVS MANVTIVS, (mm) quum esset

(ll) Occidit vir impense doctus Ann. 1503 vt S. V. IOECHERO; aut vt VOSSIO videtur Ann. 1505, aetatis Ann. 78. Oriundus est Cerete in Vmbria. Referendus autem in αὐτοδιδάκτοις videtur esse: PAGANINVS enim GAVDENTIVS, in *Inst. Acad.* testatur, PONTANVM verba facere et caeli cursum metiri, destitutum praeceptoribus didicisse. Vid. MORHOFIVS *P. I, Lib. I, cap. I, p. 5.* Monumentum sibi dum in viuis esset parauit; ac inscriptiones item quatuor exarauit. quarum vna caelata in eius cippo est. Vid. S. V. IOECHERVS in *Lexico, Tom. III p. 1689,* vbi ipsum monumentum reperies: item VOSSIVM *p. 607.* Opera ipsius edita sunt Basileae, Ann. 1556

(mm) Probe hic ab auo eiusdem praenominis est discernendus. Sinistra autem fortuna vsus Romae Ann. 1597 obiit diem. *Orthographia* eius edita est Venetiis Ann. 1561. Atque ista CASPERI etiam ROTHII operam est experta, et Lipsiae Ann. 1607, hunc ad modum in-

esset annorum quatuordecim, eum in modum de *Orthographia* exposuit, vt quamque suo vocabulo praeceptionem, communitam veterum exemplis, ad elementorum ordinem subiiceret. IVLIVS CAESAR SCALIGER et ipse, in libro de *Caussis Linguae Latinae*, Literaturam exhibuit. Natus est Ann. cIↃCCCCLXXXIIII. PHILIPPVS insuper MELANCHTHON in *Grammatica* quaedam attulit, quae ad Literaturam pertinent. Itaque eodem saeculo, quo Cimmeriae, quibus diuinior doctrina obfuscata fuit tenebrae, discussae sunt a LVTHERO et dissipatae: Literatura etiam, quasi postliminio rediit in antiquum et culta est. IVSTVS etiam LIPSIVS (nn) vt ad

inscripta: *Orthographiae ratio, ab* ALDO MANVTIO PAVLLI F. *collecta, iam vero aucta a* CASPARE ROTHIO, prodiit. At enim vero, hic index ei quod libro continetur, plane non respondet: paucissima enim ex MANVTIO qua verba in eo habentur. Ac inscriptiones, quae omne fere punctum in Orthographia ferunt, prorsus omissae sunt: adeo vt ne comparari quidem cum MANVTII Orthographia videatur posse

(nn) Historiographus ille, ac regis Hispaniae Consiliarius, iuxta Bruxellas editus est in lucem Ann. 1547. De vita ipsius MELCHIOR ADAMI, *Tom. IIII de Germ. Philos. p. 217 s.* ed. Francof. ad Moen. Ann. 1705, exposuit. Iuuenis quidem,

ad hunc pergam, in his fuit, qui magna cum contentione Literaturam emendarunt. Non *Orthographiam* enim modo exclusit; sed *Dialogum* insuper *de Recta Linguae Latinae Pronunciatione*. Omnem autem Literaturae campum CLAVDIVS DAVSQVIVS (oo) Tornacensis videtur emensus esse, in *Orthographia Latini Sermonis veteri et noua*. Qui sane liber, non mole modo sua, sed vtilitate etiam, reliquas scriptiones de Orthographia vincit. Egregius quoque AVSONII POPMAE liber *de Vsu antiquae Loquutionis* est. Porro CHRISTOPHORVS CEL-

dem, accommodato ad CICERONIS castum, dicendi genere vsus est: insequenti autem aetate, totum se ad STATIVM imitandum composuit. Vid. MARESIVS, *Lib. I, epist.* 7. MORHOFIVS, *P. I, Lib. I, cap. VII, p.* 299. ERYCIVS PVTEANVS eius stilum consectari fuit annisus. quod tamen sinistre processit. Ceterum *Orthographia* LIPSII πολυγραφῶ prodiit Norimbergae Ann. 1660, per I. M. DILHERRVM: *Dialogus de Recta Pronunciatione Latinae Linguae* Antwerpiae ex officina Plantiniana, Ann. 1628

(oo) Natus est Audomaropoli Ann. 1566. Associauit autem se Iesuitarum cohorti, atque tandem Canonicus Tornaci est creatus. Liber eius de *Orthographia Parisiis* emissus est *apud* FREDERICVM LEONARDVM *Typographum regis Serenissimi Delphini, et Cleri Gallicani, via Iacobaea sub scuto. Veneti Ann.* 1677

CELLARIVS (pp) succincte Orthographiam proposuit. NORISIVS Cardinalis, qui HIERONYMI nomen cum HENRICO commutauit, in quarta *Dissertationum*, quae ad CAII et LVCII Caesarum *Cenotaphia Pisana* spectant, de *Latinitate et Orthographia vtriusque Pisanae tabulae*, (qq) egit. CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII (rr) *Orthographia*, sua se vtilitate

(pp) Natus est Smalkaldiae Ann. 1638. *Orthographia* ipsius prodiit Ienae Ann. 1747

(qq) Inuenies hanc *p.* 425 seq. edit. Venet. Adiecta etiam est SCHVRZFLEISCHII *Orthographiae*, edit. Vitemb. Ann. 1707. Ceterum natus est NORISIVS Ann. 1631

(rr) Natus est hic Polyhistor Corbachii Ann. 1641. Quemque autem arbitror intelligere, mei non fuisse instituti, omnes omnino Orthographiae scriptores recensere, sed potiores. Alias enim SCRIBONIVS etiam APHRODISIVS, AQVILA, BERNARTIVS LINGVIS, IOHANNES NEMIVS, VALLA, FRANCISCVS VERGARA, PONTACVS, fuissent adducendi. Nec non IO. TORTELINI ARETINI *Orthographia*, et IO. TORTELII *Lima quaedam per GEORGIVM VALLAM, in tractatu de Orthographia.* qui liber rarus Venetiis, per IOHANNEM de TRIDINO, alias TACVINVS Ann. 1495 prodiit: vt et THEODORI GAZAE Thessaloniensis, *Grammatticae Institutiones*: egit enim peculiari in capite, *de Literis Graecis ac Diphthongis, quemadmodum ad nos peruenerint.* Versio ERASMI Hagnoae Ann. 1518 edita est

litate commendat. Suppetunt etiam eiusdem *Supplementa Orthographiae Romanae*, quem librum in suis recenset IOH. CHRIST. GODOFR. IAHNVS. Eiusdem *Notata ad Orthographiam* in Schedis B. IOHANNIS GVILIELMI BERGERI habentur. Iam hodie quae sit Orthographiae fortuna, obscurum esse nemini potest: quum multi libri male scripti, quantum inclinata sit, loquuntur. Profecto timendum, ne grauis redeat aetas, qua nullus ipsi est honos habitus

V

VT ex scriptoribus Literaturae eorumque conditione, quae fuerint eius fata intelligitur: ita ex ipsis etiam manuscriptis, quae eius ratio fuerit, potest cognosci. In antiquissimis manuscriptis sunt haec, in quibus vnciales literae aut quadratae reperiuntur. quod tamen non eo est dictum, quasi codex minusculis literis exscriptus antiquus esse nullus possit: nam saeculo IIII iam innotuit, vt infra dicetur, minuscula scriptio. Id quoque magnae est vetustatis, quando nihil inter se voces distant: carent posituris: aut cuique voci, ea tamen quae nouissima est versus excepta; aut ei tantum quae sensum perficit, reliquis vocibus inter se nexis, punctum est a tergo adiectum. Putat autem STRVVIVS interpun-

puncta verborum, quibus hodie vtimur, iam saeculo V obtinuisse. Praecipue vero hoc vetustatem arguit, quando AE et OE biuocales colligatae non sunt: si I litera puncto est cassa; et quando Y vnicum in scapo punctum gerit. Codices, in quibus Latinis literis Gothicae aut Toletanae, vt in Pandectis Florentinis, sunt admistae, ad saeculum V, quo ab VLPHILA repertae sunt, videntur referendi esse. Longobardicae (ss) autem literae, saeculum VI, SALMASIO (tt) auctore, redolent. Ad idem etiam saeculum, scripturae compendia spectant, quae literis detractis continentur: vt, SA TEMPORIS pro *sat te temporis*. Saeculi XII scriptiones S finale praeferunt. quo saeculo exacto, I litera accentu donata est. In libris saeculi XIIII compendia scripturae, quibus nectuntur inter se literae vna plures, notas vocant; ac *e* vnciatum pro biuocali AE, deprehendes. Saeculo XV, accentus literae I versus est in punctum. Atque ex hoc inde tempore indices et literae, a quibus orditur oratio, auro sunt frequenter exornati, et mira arte variegati coloribus. Haec de Literaturae fatis dicta sunto

CAPVT

(ss) DAN. EBERH. BARINGIVS Longobardicum Saeculi VIII Alphabetum exhibet. quem vide in *Claui Diplom. Tab. Alph. II, n. IX*

(tt) In *Literis ad* SARRAVIVM, quae habentur apud MORHOFIVM, *Tom. I, Lib. I, cap. VII, p. 54*

CAPVT II

DE LITERATVRAE FONTIBVS CVM EXTERNIS TVM INTERNIS

I

Ille omnino non poteſt ad aliquam in Literatura accurationem peruenire; qui vnde repetendae ſint Orthographiae praeceptiones ignorauerit. Atque ea ſubinde fuit fundi Literaturae calamitas, vt Literaturae alumni, aut magiſtri ſui ab auctoritate in ſcribendo ſtarent; aut vnam conſuetudinem ducem ſequerentur. Itaque fieri non potuit, quin multa etiam falſa, pro veris in ſcribendo haberent. immo ne potuerunt quidem deſtituti fontibus, quid iuſtum ſit in ſcribendo; quid non, videre. Qui ergo cunque, miſſis ipſis fontibus, infectos conſequitur in ſcriptu riuulos, ſemper in ſcribendo titubabit. Iam quo erunt loco habendi hi, qui iſtam fontium Literaturae intelligentiam, in proletariis artibus habent? Miſſis autem his, fontes ipſos dabo. Sunt iſti interni partim; partim externi: ad hos *inſcriptiones*, *numi*, *manuſcripta*, atque *Graecanica* etiam *Orthographia*; quibus

bus addi *exempla emendate typis expreſſa* poterant, videntur pertinere: ad illos autem *Notationem*, *Competentiam* et *Proſodiam* referunt. quorum fontium aquas, *Sonoritas* maxime, *Conſuetudo* atque *Auctoritas* turbant

INSCRIPTIONES, vt ab his ordiar, multum ſane ad indagandam ſcriptionem genuinam faciunt. quod ipſa ratio vincit: Laquum enim veterum exempla in omni Latinitate pro regulis ſunt: quid ni in ea etiam Latinitatis parte, quae de idonea ſcriptura exponit: iam vero vnde commodius peti ſcripturae exempla, quam ex inſcriptionibus poſſunt. itaque ad has veluti Lydium lapidem, exigenda Scriptio erit. Suadet inſuper hoc veterum etiam Literatorum vſus. Illi enim, ſi qua dubia ſcriptio ipſis viſa fuiſſet, ſtatim ad inſcriptiones recurrerunt. Itaque QVINCTILIANVS (a) ad columnam DVILII roſtratam; PLINIVS (b) ad *Delphicam*: FESTVS item ad tabulam quandam literatam, et PRISCIANVS (c) bis ad APOLLINIS tripodem, qui in Xerolopho Byzantii ſtetit, prouocant. Sunt autem inſcriptiones veteres in cippis, lapidibus, tabulis aeneis, columnis, periſtiliis, (d) marmoribus, apſidi-

(a) *Lib. I, cap. VII*
(b) *Lib. VII, cap. LVIII*
(c) *Lib. I*

(d) Videſis de hac voce VITRVVIVM, *Lib. V, cap. XI*

sidibusque reperiundae. His colligendis atque interpretandis, viri doctissimi suam commodarunt operam. Principes ex his, praeter IACOBVM MAZOCHIVM (e) sunt: MARTINVS SMETIVS, HVBERTVS GOLTZIVS, (f) ONVFRIVS PANVINIVS, IANVS IACOBVS BOISSARDVS, (g) IANVS GRVTERVS, (h) THOMAS REINESIVS, IACO-

(e) Eos qui ante ipsum inscriptiones constiparunt, FABRICIVS, *Bibliotheca Lat. p. 756*, recensuit

(f) Praeter *Rei Antiquariae Thesaurum*, alium etiam qui huc pertinet librum composuit. cuius index ita habet: *Fastos magistratuum et triumphorum Romanorum, ab vrbe condita ad* AVGVSTI *obitum ex antiquis, tam numismatum; quam marmorum monumentis, restitutos* S. P. Q. R. HVBERTVS GOLTZIVS, *Herbipolita Venlonianus, dedicauit Brugis Flandrorum. Ann. a* CHR. *nat.* 1571

(g) BOISSARDI *Topographia* edita est Francofurti, Ann. 1627. quo etiam in libro ONVFRII PANVINII, BARTHOLOMAEI MARLIANI, et PETRI VICTORIS inscriptiones reperiundae sunt

(h) Inscriptiones ipsius, primo Heidelbergae ex officina Commeliniana Ann. 1603, prodierunt. cuius editionis hic est index: *Inscriptiones antiquae totius orbis Romani, in corpus absolutiss. redactae, cum indicib. XXV, ingenio ac cura* IANI GRVTERI, *auspiciis* IOS. SCALIGERI *ac* M. VELSERI. *Accedunt Notae* CICERONIS *L. ac* SENECAE. Altera Amstelodami Ann. 1707 est

IACOBVS SPONIVS, (i) RAPHAEL FABRETTI, MONTFAVCON, et GVIL. FLEETVVOOD. Alii, vnam ſunt alteramue inſcriptionem aliqua commentatione proſequuti, vt HENRICUS NORISIVS. (k) Alii vnius tantummodo ciuitatis lapides literatos dedere, vt SERTORIVS VRSATVS, qui Patauina; et PHILIPPVS A TVRRE, qui Antii monumenta, exhibuere. OCTAVIVS FALCONERIVS, athleticas inſcriptio-

eſt euulgata. in qua GRVTERI inſcriptiones, *curis ſecundis eiuſdem* GRVTERI *et Notis* MARQVARDI GVDII *emendatae et Tabulis aeneis a* BOISSARDO *confectis illuſtratae; denuo cura viri ſummi* IOANNIS GEORGII GRAEVII *recenſitae* ſunt. Typis inſcripta eſt a FRANCISCO HALMA. Eidem ſunt exemplo, *Panegyrici* IANO GRVTERO *ſcripti a* BALTHASARE VENATORE et FRIDERICO HERMANNO FLAYDERO, adiecti

(i) IACOBI SPONII, Lugdunenſis Medici, *Miſcellanea eruditae Antiquitatis* (ed. Ann. 1685,) non minus GRVTERI Supplementis annumerari poſſunt: quam REINESII, qui omiſſas a GRVTERO inſcriptiones ex RVBEO, GVALTERO et PIGNORIO ſuffecit, *Syntagma.* Ceterum, pertinent huc etiam SPONII, *Recherches courieuſes del' Antiquité.* De eius *Eponymologico* vid. *Acta Erud. XXVIII, p. 91*

(k) Non contemnenda NORISII Veronenſis edit. Venetiis Ann. 1681 apud PAVLL. BALLEONIVM eſt euulgata

ptiones interpretatus eſt. (l) Noſtra etiam memoria quaedam ſunt monumenta, ad Veſuuii radices in Herculaneo effoſſa. (m) Eſt autem, ſi quam ſcripturam ex inſcriptionibus confirmare voles, delectus quidam, ipſis in inſcriptionibus habendus. Sunt

(l) CVPERI nunc labores, SALMASII, DONII, VRSINI, ARINGHI, aliorum, ſicco pede prætercam. Cui volupe eſt plura noſſe, adeat MORHOFIVM, *Polyh. P. I. Lib. IV, cap. XIV. paragr. 26*: ALB. FABRICIVM, *Bibl. Lat. Lib. IV, c. 5, p. 756. ſ.*

(m) Vt, marmorea in columna legitur:

L...... MAMMIO. MAXIMO
AVGVSTALI
MVNICIPES. ET. INCOLAE
AERE. CONLATO

Vid. *Nachricht von der am Fus des Berges Veſuuius entdekten Stadt Herculaneum. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* IO. PET. EBERHARD. Item: *Des Marcheſe* DON MARCELLO DE VENVTI *ausführliche Beſchreibung von Heracleia.* Nuperrime, vrna IVLII CAESARIS, MARTE et PALLADE ſtipata, Romae eſt quadam in teſtudine reperta, cui inſcriptum: IVL. CAES. IMP. OBIT. ID. MAR. Vid. *Gentleman's Magazine, p. 92.* In comitatu etiam Eboracenſi iuxta vrbem cui nomen Malton, aliquod eſt monumentum Ann. 1735 eruderatum. Vid. *das Hamburgiſche Magazin Vol. XVIII, n. 3, p. 329*

Sunt enim quaedam ex his ſubleſtae fidei, innouatae ſcilicet a poſteris, *in veterum*, vt ait SCALIGER, *contemtum:* et latomorum etiam, in marmoribus, errata deprehenduntur. quale CICERO, in SERAPIONIS ſubſcriptione, ſibi animaduertiſſe viſus eſt: aut male etiam deſcriptae ſunt. cuiusmodi ANTONIVS AVGVSTINVS, in MAZOCHII, aliorumque collectionibus, notauit. quin REINESIVS (n) fictitias etiam apud VRSINVM inſcriptiones inuenit. Adhaec, temporum etiam eſt, in adhibendis inſcriptionibus ratio habenda, vt plus antiquioribus, quam recentioribus auctoritatis tribuatur. Vt autem earundem aetatem dignoſcere eo melius poſſis, *Faſti* HVBERT. GOLTZII et ONVFRII PANVINII, item PIGHII *Annales*, verſandi erunt. quo vel ex materie inſcriptionis, ad quam epocham pertineat, colligere poſſis. Sunt etiam OCTAVII BOLDONII in *Epigraphica* quaedam, quae huc faciant. Porro dubia in ſcriptura, non ſufficit, vnam commemoraſſe inſcriptionem: occurrunt enim ipſis etiam in inſcriptionibus diuerſae eiuſdem loquelae ſcriptiones. Itaque diſpiciendum, vtra ſcriptio

C

(n) In Epiſtolis ad RVPERTVM, *p. 457, 487 et 490.* GRVTERI etiam in inſcriptionibus IO. HARDVINVS quaedam carpit. Vid. FABR. *Supl. I, p. 314*

ptio pluribus in lapidibus exſtet. eaque ſeruanda

II.

NVMISMATA eundem habent in Orthographia quem literati lapides vſum: Siue enim quaedam ſcriptura, e numo; ſiue ex inſcriptione probetur, perinde eſt. eadem eſt vtriuſque argumenti vis: idem valor. Erit itaque operae pretium, vt rei etiam Numariae, aliquid otii impendas: ſiquidem praeter id, quod ad veteres hominum ritus pernoſcendos, apprime neceſſaria eſt Numiſmaticae intelligentia; Orthographiam etiam adiuuat. Praecipue quum per ſe iucunda admodum eſt cognitu. Eminuere hoc in Studio: HVBERTVS GOLTZIVS (cum in *Faſtis*; tum in IVLIO CAESARE,) EZECHIEL item SPANHEMIVS, (o) ANDREAS MORELLIVS (p) CAROLVS PATINVS, PHILIPPVS PARVTA,

(o) Nihil eſſe elegantius hoc in literarum genere, SPANHEMII, Liberi Baronis, *Diſſertationibus*, *de Vſu et Praeſtantia Numiſm. ant.* nihil praeſtantius poteſt. Emendate prodierunt Londini, Ann. 1606

(p) Dederat vir Clariſſimus, Ann. 1683, *Specimen rei Numariae vniuerſae* (Pariſiis,) ex quo diuinari poterat, futurum eſſe, vt ipſe opus numiſmaticum conſummatiſſimum exigeret: namque theſaurus ipſi Arnſtadienſis erat concreditus. Sed antequam id opus ad vmbilicum addu-

TA, (q) IO. FOY. VAILLANTIVS, IOHANNES IACOBVS GESNERVS, FVLVIVS VRSINVS, FRANCISCVS ANGELONIVS, (r) LAVRENTIVS BEGERVS, CONSTANTINVS LANDVS, CHRISTIAN. FRID. RVHE. (ſ) Optandum autem foret, vt,

C 2 quem-

adduceret, fatis eſt functus Ann. 1703. quod grauiter ſane doctiſſimus quiſque moleſteque tulit

(q) PHILIPPI PARVTAE, nobilis Panormitani, et LEONARDI AVGVSTINI Senenſis, *Sicilia numiſmatica*, ſtudio eſt et induſtria SIGEBERTI HAVERCAMPI, edita. Acceſſerunt etiam antiquae GEORG. GVALTERI tabulae. Lugduni Batauorum excudit PETRVS van der AA

(r) Oriundus ille Interamniae. In libri eius, qui huc ſpectat rubro, legitur: *Franceſco Angeloni l' Hiſtoria Auguſta da* GIVLIO CESARE a CONSTANTINO M. *illuſtrata dell' Antiche Medaglie*, *col ſupplimento della Regina* CHRISTINA, *deſcritti da* GIO. PIETRO BELLORI, *Roma*, *1685*

(ſ) Eius *Specimina Philologiae numiſmatico Latinae*, eo potiſſimum nomine magni faciendi, quod ad Orthographiam, numorum ſcientiam applicauerit. Tyrones etiam multum proficere ex P. CHRYSOSTOMI HANTHALERI, monachi Ciſtertienſis, *Exercitationibus de Numis* poterunt. Ed. Norimb. Ann 1736. Poteram etiam HAVERCAMPIVM, LIEBIVM, BVRKHARDVM, alioſque bene multos, qui de numis ſcripſerunt, commemorare: niſi omnis rei Numiſmaticae hiſtoria, peti commodius

quemadmodum SCHVLZII Numophylacium graphice eſt ab AGNETHLERO deſcriptum: BERGERI etiam numi, qui apud Illuſtr. HILDEBRANDVM, quem honoris cauſſa nomino, reperiundi ſunt, luce ſuffunderentur. Ceterum ſunt etiam, qui non niſi vnum, aut binos numos exhibuerint, vt SCHLAEGERVS, qui de numo HADRIANI plumbeo et BELLORIVS, qui de duobus ANTONINI numis, expoſuere. Eſt etiam quod ſperemus fore, vt ex Hercula-

dius e PHILIPPI LABBEI *Bibliotheca Numaria* poſſet: qui liber adiectus iſte eſt IOH. SELDENI de *Numis Tractatui*. ed. Lugduni Batau. Ann. 1662. Adde BVRCHARDI GOTHELFI STRVVII, *Bibliothecam Numiſmatum antiquorum*; et CAROL. PATINVM, in *Introductione ad Hiſtoriam et Cognitionem rei Numariae* (Amſtelod. ann. 1683.) Nec non D. ANSELMI BANDVRII *Bibliothecam numariam*, Hamburgi Ann. 1719 curante FABRICIO editam. In ſingulis numis cognoſcendis, cathalogos diurna manu voluere, magnae eſt vtilitatis, vt *Cathalogum Thecae Numiſmaticae Heſſelianae* (ed. Amſtel. ann. 1747.) BERGERI item, aliorumque. Iam ei, qui redimere numiſmaticos libros volet, ſuaſor ſim, vt WEYGANDVM, Helmſtadii Bibliopolam ſpectatiſſimum, adeat: neque enim facile Bibliopolam reperiet, cui plures ſint rarioreſue numiſmatici libri, compacti pariter atque incompacti, quam hunc. Sed cui hodie Numiſmatica curae eſt

culaneo (t) incrementum res Numiſmatica capiat

III

MANVSCRIPTA etiam, quae iuſtae antiquitatis eſſe conſtat, adhiberi commode, in Orthographicis quaeſtionibus diluendis, poſſunt. Poterant in his haberi, Vaticanus TERENTII codex, vncialibus exaratus literis: CICERONIS de *Inuentione* libri, vna cum BOETII de *Topicis* ſcripto, in Laurentianae Mediceae ſcriptionibus reperiundi. qui Saeculo XII deſcripti ſunt: eiuſdem de *Officiis*, *Paradoxa*, de *Amicitia*, de *Senectute* ſcripta. codex Mediceus ſaeculi XIII: nec non *Rhetorica* CICERONIS et auctor ad HERENNIVM, cum notis marginalibus. conſequentis ſaeculi codex membranaceus: VIRGILII codex Mediceae Bibliothecae antiquiſſimus; qui VALENTE videtur aut THEODOSIO imperante, atque adeo cIↃCC retro annis, exſcriptus eſſe. Mutilus autem primis duobus quaternionibus, in quibus Bubolica ordiuntur, reperitur eſſe. Vaticanus eiuſdem auctoris codex, magnae et ipſe vetu-

C 3 ſtatis

(t), Sunt iam quaedam ibi numiſmata Imperatorum inuenta, vt VESPASIANI, in cuius aduerſa legitur: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. COS. III. auerſa autem in parte, IVDEA CAPTA

ſtatis eſt. ſiquidem quarto inſcriptum folio: *Iſte liber eſt* B. DIONYSII. quod ſane arguit, ſaeculo XIII eum iam fuiſſe exaratum. HORATIVS porro, commentariis ad marginem, et gloſſis inſtructus interlinearibus, in vetuſtis eſt codicibus Mediceis. cuius prima in pagina, fata codicis, diuerſis ab ſcribis, enarrantur; e quibus etiam videre eſt, eum ad Ann. cIↃCCCXLVII aſſurgere. OVIDII etiam, LIVII et TIBVLLI codices Vaticani: *Hiſtoriae Romanae* TITI LIVII *libri quinque*. qui Vindobonenſis Bibliothecae codex, ad minimum ante cIↃ annos conſignatus eſt: SALLVSTII codex Vaticanus annorum IↃ: PERSII, LVCANI ac STATII eiuſdem Bibliothecae codices antiqui, cum aliis, cognoſcendae Orthographiae inſeruire poſſunt. Vberem autem et exactam manuſcriptorum veterum ac recentiorum συλλογήν, in *Bibliotheca Bibliothecarum*, (v) quam BERNARDVS DE MONTFAVCON adornauit, reperies. Ceterum huc Diplomatica etiam ars videtur ſpectare. Atque

(v) Edita eſt Pariſiis apud BIASSON. Ann. 1738. Idem *Graecae* etiam *Palaeographiae* auctor eſt. Plures qui huc pertineant ſcriptores, apud MORHOFIVM, *Tom. I, Lib. I, cap. VII*, reperies. His autem, qui ab ipſo commemorati ſunt ſcriptoribus, addendum STRVVIVS (in *Diſſert. de Criteriis Manuſcriptorum* p. 79) putat: HADRIANI PAVV, equitis Belgae *Indicem*. qui prodiit Hagae Ann. 1633

que in hac primas sibi deposcit IOH. MABILLONIVS. (x) Secundum ab hoc, DANIELEM EBERHARDVM BARINGIVM, ob insignem libelli (y) ab se editi vtilitatem, dixerim. Historiam Diplomaticae CASPAR BERETTI, SIMON FRIDERICVS HAHNIVS, SCIPIO MAFFEVS, IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, alii, prosequuti sunt

IIII

GRAECANICAE *Orthographiae*, vt ad hanc progrediar, intelligentia, quid ad plenius perspiciendam Literaturam Latinam faciat; ex vtriusque linguae cognatione, et veluti concentu, intelligitur. Atque quum Latina literatura Graecae suam originem debeat, sitque ad eam temperata:

(x) Natus ille in agro Remensi Ann. 1632: obiit Parisiis Ann. 1707. Pertinent huc, eius *de re Diplomatica Libri VI*, vna cum *Supplemento*. THEODORICVS RVINARTVS, nouam eius libri editionem Ann. 1709 (Paris.) parauit; atque de eius vita est praefatus. De MABILLONII cum GERMONE et *de la* TRAPPE liticulis, quae salutares literis fuere, vid. S. V. IOECHERVS in Lexico

(y) *Clauem Diplomaticam* vocat, *tradentem Specimina veterum Scripturarum*. Edit. Hanou. Ann. 1737. quo etiam in libro *Syllogen* scriptorum rei Diplomaticae dedit; in qua eôs etiam, qui de bellis Diplomaticis egerunt, stricttim recensuit: nec non inedita quaedam diplomata enarrauit

ta: quid ni etiam ex eadem medicina, ad hanc ſanandam et reficiendam, parari poſſet? Accedit hoc, Graecam Literaturam intemeratam permanſiſſe, nec ſcholaſticam adeo tempeſtatem fuiſſe expertam. At enim vero, ſcriptores pauciſſimi, qui de ea expoſuere, ad noſtram aetatem, temporum iniuria propediti, peruenerunt: et verius nullus. Quae enim ARCADIVS, Grammaticus Antiochenus, GEORGIVS CHOEROBOSCVS, ORVS Mileſius, AMMONIADES, HYPERCHIVS, DRACO Stratonicenſis Grammaticus, DIDYMVS Alexandrinus, EVDAEMON; (z) SVIDA atque STEPHANO teſtibus, de Graeca Orthographia tradiderunt; hodie nuſpiam reperiuntur. Itaque lapides potiſſimum literati, ac numi adhibendi erunt; et codices item manuſcripti. Atque inſcriptiones quidem Graecas apud eoſdem fere, qui Latinas dedere, reperies, VT GRVTERVM: in primis autem SPONIVM: quibus addiderim

(z) Poterat his HERODIANVS annumerari, qui a PRISCIANO non minus atque STEPHANO, ob magnam in Literatura accurationem, commendatur. *Quid enim*, ita PRISCIANVS ait, HERODIANI *artibus certius? Quid* APOLLONII *ſcrupuloſis quaeſtionibus enucleatius poſſit inueniri?* in *Praefat. ad* IVLIANVM Conſulem ac Patricium *p.* 534. Conf. STEPHANVM in voce Κάρ: nec non DAVSQVIVM, *Tom. I, p.* 1

derim *Scheldonianum Theatrum*, (aa) SALMASIIque quarundam HERODIS Attici inſcriptionum interpretationem. In numis Graecis conſiderandis LVDOVICI NONNII (bb) liber, parum tenuem vſum praeſtabit. Exſtant etiam multo plurima ex Graecis numiſmatibus, apud VAILLANTIVM, SPANHEMIVM, BEGERVM, (cc) AGNETHLERVM, alioſque. Quae autem ad Graecorum non minus atque Latinorum manuſcriptorum cognitionem faciunt, MORHOFIVS, (dd) LAMBECIVS atque alii prodiderunt

V

NEGARI non poteſt, id etiam e re Literatoris eſſe, vt *exempla* librorum *emendate typis exſcripta* dignoſcere ab his, quae Sphalmatibus ſcatent, poſſit. Quae enim exempla, recens inuenta Typographica arte, (ee) impreſſa ſunt, manuſcriptorum

vice

(aa) Vid. MORHOF. *Lib. IV, cap. XIV, p. 920*

(bb) *Commentarius* ipſius *in* HVBERTI GOLTZII *Graeciam, inſulas et Aſiam minorem*, Antwerpiae ex officina Plantiniana BALTHASARIS MORETI. Ann. 1644 prodiit

(cc) In *Theſauro Brandenburgico*, ſiue, *in Gemmarum et Numiſmatum Graecorum in Cimeliarchio Electorali Brandenburgico ſerie.* Coloniae Marchiae Ann. 1796

(dd) *Tom. I, Lib. I, cap. VII*

(ee) Nempe ſaeculo XV,

vice possunt esse. et eandem etiam cum ipsis manuscriptis in probanda aliqua lectione vim habent. Sed alii sunt aliis, in veteribus Typographis antehabendi. Praecipue autem hi, qui et ipsi subacti bonis literis fuerunt, magni sunt faciendi; et libri ab ipsis impressi quanti constent, redimendi. Atque in primis est Typographis principibusque IOHANNES FAVSTVS, (ff) cum PETRO SCHOEFFERO de Gernsheim, et IOH. GVTTEMBERGIO, qui eodem quo reperta esse videtur Typographia loco, (gg) eam exercuerunt. Porro CONRADVS

XV, cuius Ann. XL exclusa esse Typographia perhibetur. Quaedam etiam saeculi XVI paucissima saeculi XVII scripta, huc poterunt transferri

(ff) Impressit ipse CICERONIS *de Officiis libros tres*, quos ipsemet in Bibliotheca Helmstadiensi perlustraui oculis. in cuius calce haec ἐπιγραφὴ legitur: *Praesens* M. TVLLII *clarissimum opus* IOANNES FAVST *Moguntinus ciues, non atramento plumali, canna neque aerea, sed arte quadam perpulcra, manu* PETRI *de Gernsheim, pueri mei, feliciter effeci. Finitum Anno MCCCCLXVI quarta die mensis Februarii.* At enim vero, sunt quaedam in ea editione lectiones, quae minus esse genuinae videantur: vnde potest colligi, non fuisse optimae notae manuscriptum, ad quod expressa fuerit. quod etiam GRAEVIO est obseruatum

(gg) Nempe Moguntiae. Non vna autem

autem

DVS DENKMVTH Vlmae: Venetiis et Romae ALDVS PIVS, PAVLLVS et ALDVS MANVTII: Parisiis, ADRIANVS TVRNEBVS, STEPHANI atque MORELLI, Florentiae IVNII: FROBENII; IOHANNES OPORINVS et MICHAEL ISINGRINIVS Basileae: Brugis HVBERTVS GOLTZIVS: ELZEVIRII, CHRISTOPHORVS PLANTINVS, GRYPHIIque Amstelodami ac Lugduni Batauorum: HIERONYMVS COMMELINVS (hh) Heidelbergae, claruerunt

VI

est ea de re doctorum hominum sententia. *Artis inuentae*, inquit MAITTAIRE, *gloriam suo Harlemum* COSTERO, *Argentina* MENTELIO, GVTTEMBERGO *Moguntia asseruit: Annal. Typogr. p. 3*

(hh) Plures hic commemorare Typographos nihil attinet. Videsis BVRCHARDVM GOTHELF. STRVVIVM, *in Histor. Literar. cap. XI:* IOH. *de la* CAILLE in libro: *Histoire de l'Imprimerie et de la Libraire:* MICHAELEM MAITTAIRE, *in Annalibus Typographicis:* ADRIANVM BAILLET in libro cui inscriptum: *Iugemens des Savans sur les principeaux ouvrages des Auteurs, Part. I, Tom. II.* Amstelod. Ann. 1726. De origine Typographiae Parisiensis CHEVILLIERIVS: de STEPHANIS ALMELOVENIVS exposuerunt. Ceterum, si insignia etiam nosse Typographorum voles, vide, *die sô nöthig als nützliche Buchdruckerkunst*

VI

DICAM nunc de *Notatione*, quae primum tenet, in domesticis Orthographiam cognoscendi mediis, locum. Est autem Notatio, *quum ex vi nominis*, vt CICERO in *Topicis* ait, *argumentum elicitur*. Graeci ἐτυμολογίαν, id est, *verbum ex verbo veriloquium*, et ARISTOTELES σύμβολον, dicunt. Itaque in recta nominis ex ipso nomine interpretatione sita est: atque adeo in origine vocis indaganda eiusque vi explicanda occupatur: iam vero quum praecipua in Orthographia regula est haec: deductorum vocabulorum ac compositorum scriptionem, alienam esse a sua origine non oportere, (cuius tamen vim diuturnior apud veteres vsus aliquando eleuat;) consequitur, vt huius cognitio penitior, magnae sit in Orthographia vtilitatis. Atque eo in argumento nihil est VOSSII *Etymologico* prius, nihil secundum. Interim taman BECMANVS (ii) etiam, qui SCALIGERVM subinde est sequutus, quaedam non contemnenda attulit. Porro *Forum Romanum*, atque FABRI *Thesaurus*, qui magni est GESNERI laborem expertus, in consilium erunt adhibenda. Est autem adeo arcto inter

kunst und Schriftgiesserey, p. 70

(ii) In *Manuductione ad Latinam Linguam*. Hanou. Ann. 1629

ter se nexu, Graecanica atque Latina Notatio iuncta, vt diuelli a se nullo modo possint: quod Latina vocabula maximam partem Graecae sunt originis, VT GATAKERVS (kk) in prima VIRGILII Ecloga ostendit. *Competentiam* (ll) dixerim id, quod Analogiam VARRO atque GELLIVS vocarunt: nempe *similium comparationem* aut *argumentum* (ἰσότητα λόγϛ) Itaque, si qua vox dubiae fuerit scriptionis, ad aliquam similem exigenda est, cuius scriptura explorata habetur. Illustrabo rem aliquo exemplo: *Britania*, vtrum sit vno N; an vero duobus scribendum, ex vocum, *Aquitania*, *Hispania*, *Lusitania*, scriptu potest intelligi. In *penuarius*, V litera abesse nequit, ob Analogiam τϛ̃ *pecuarius*, *quaestuarius*, cet. Ad *Prosodiam* etiam, multis in Orthographicis quaestionibus est confugi-

(kk) *Lib. de Stilo Nou. Testam. cap. I.* Eandem rem QVINCTILIANVS probat, his in verbis: *Etymologia continet in se multam eruditionem, siue illa ex Graecis orta tractemus, quae sunt plurima, praecipueque Aeolica ratione, cui est noster sermo simillimus, declinata: siue ex historiarum veterum notitia nomina hominum, locorum, gentium, vrbium requiramus.* Magnus etiam vocum Latinarum, quae ex Graecis descendunt apparatus, in CASPARI ROTHII Orthographiae appendice est reperiundus

(ll) A. GELLIVS eo est vocabulo vsus, *Noct. Attic. Lib. I cap. I*

fugiendum. Accentuum enim iuſtus poſitus, maximam partem e ſyllabarum quantitate, de qua Proſodia agit, perſpicitur. Ita pariter quaeſtio, Q ſitne duplex litera; nec ne, eo redit, vtrum apud Poetas probatos, antecedentem ſyllabam porrectam efficiat; an vero corripiat (mm)

VII

PRAECIPIVNT Literatores, committendum non eſſe, vt ex ſcriptione aliquid detrimenti capiat *Sonoritas*, (ἐυφωνίαν dicunt atque ἐυστομίαν.) id eſt, nullam temere eſſe ſcriptionem adhibendam, quae non ſuperbiſſimo aurium iudicio probetur. Atque, quum iſte ſit literarum, teſte QVINCTILIANO vſus, *vt cuſtodiant voces, et velut depoſitum reddant legentibus:* aequum etiam eſſe videtur, vt id ad vnguem exprimant, quod dicturi ſumus. eſt autem ita dicendum, vt voluptati aurium inſeruiat oratio. Itaque TERENTIVS MAVRO non omnino probandus; neque SERVIVS etiam, quorum alter, CAIVS per C ſcribi; dici per G: alter vocem *amurca* per C ſcribi, et pariter per G efferi vult. At enim vero, lubricum tamen aliquanto eſſe,

(mm) De Orthographia ex Libris cognoſcenda DAVSQVIVS, *Tom. I, cap. VII, p. 10,* praecepit

ſe, quod ab aurium iudicio arceſſitur argumentum, videtur: eo quod non vna ſe omnibus lectio probet. Ac periculum ſit, vt bene ſe Orthographia habeat; ſi omnia eſſent ad illud aurium iudicium referenda. Itaque his veluti cancellis, eam de Sonoritate regulam incluſerim. Probandum omnino hoc, quod aures veterum, CICERONIS verbi cauſſa et QVINCTILIANI probarunt. minime vero, quod noſtras demulciat aures. Praecipue autem Sonoritas, in vltimis praepoſitionum literis, quando ſunt aliis vocibus iunctae, ſuam vim exerit. *Conſuetudo*, vt ad hanc progrediar, *cum omnium domina rerum, tum maxime verborum eſt.* (nn) Igitur quaedam etiam eius in ſcribendo ratio habenda: non illius quidem, quae cadente Latinitate; ſed quae ea florente inualuit.(oo) Tandem ſunt etiam *Auctoritatis*, qua probato-

(nn) A. GELLIVS, *Noct. Attic. Lib. XII, cap. XIII*

(oo) VARRO ita effert: *Conſuetudo loquendi eſt in motu. Itaque ſolet fieri ex meliore deterior*, et paucis interiectis, *Quare*, inquit, *qui ad conſuetudinem nos vocant, ſi ad rectam, ſequamur: in eo enim quoque eſt Analogia; ſi ad eam inuitent, quae eſt deprauata, nihilo magis ſequamur; niſi ſi, cum erit neceſſe, ſequar in ceteris rebus mala exempla: nam ea quoque cum aliqua vis vrget, inuiti ſequimur. Lib. VIII, de L. L. p. m.* 115

batorum Grammaticorum ſuffragium intelligitur, quaedam in Orthographia partes. Nempe ſi lapidum numorumque veterum ſcriptio parum ſibi conſtet, ad Grammaticos eſt confugiendum, et ea, quam ipſi aliis antehabuerunt, licet ratio nulla adiecta ſit, recipienda eſt. Qua tamen in re videndum, ne a Grammatici minus probati auctoritate ſtes. Principes in his qui conſectandi ſunt PVTSCHIVS, vt infra dixi, deſcripſit

CAPVT III
DE LITERATVRAE FINITIONE AC DIVISIONE

I

ANTEQVAM, quonam inſit Orthographia oſtendere poſſum, ratio eſt reddenda, quo iure Literaturam cum Orthographia in Synonymis habuerim. Atque ea quidem haec eſt, quod eandem huic vocabulo vim CICERO (a) atque QVINCTILIANVS (b) attribuerunt. Dein, quod EDVARDVS BERNHARDVS, ſuum pariter de literis librum Literaturam (c) dixit. Po-

(a) *Lib. de Partit. cap. XV*

(b) *Lib. II, cap. XIIII*

(c) Exhibet eius libri quaſdam particulas EZECH. SPANHEMIVS, in-

Poteſt autem Literatura finiri hunc in modum, vt ſit ars aut *ſcientia*, *quae de iuſta pariter loquela ac idonea ſcriptione praecipit.* Ea autem ex finitione poteſt intelligi, quanto ſit commodius Literaturae vocabulo vti, quam Orthographiae: hoc enim vnam tantum Literaturae partem, ſcriptionem nempe indigitat, vnde etiam quidam ὀρθοεπείας ſunt inſuper voce vſi, quo quid hac arte continetur exprimere poſſint. quos VELIVS tamen LONGVS (d) minime probat; illi autem ea eſt ſignificatio ſubiecta, vt et loquelam et ſcriptionem comprehendat. Finitiones quas ALCVINVS, (e) VELIVS LONGVS atque CAS-

in libro, *de Vſu et Praeſt. Numiſm. p. 80, 82 et 114*, edit. Lond. Hinc qui Literaturam callerent, Literatores inſigniti, atque progreſſu temporis vniuerſe Grammatici ita dicti ſunt, quod Grammatica ab ea orditur. Compellat eo nomine MESSALA CORVINVS CATONEM apud SVETONIVM, *Lib. de Illuſtris Gramm. cap. IIII, p. 757.* Conf. VOSSIVS, *Ariſt. Lib. I, cap. I, p. 2*

(d) *Ad ceteras*, inquit, *quaeſtiones tranſeamus, in quibus animaduerto apud pleroſque confuſam tractationem* ὀρθοεπείας et ὀρθογραφίας *cum inter ſe diſtent. Nam* ὀρθοεπεία *non quaerit quomodo ſcribendum ſit, cum ad vocis legem allegatus ſit ille, qui ſcripſit. p. 2232*

(e) Effinxit etiam hanc: *Orthographia eſt recta ſcriptura, vt puta, ad praepoſitio d accipiat. p. 2086*

CASSIODORVS (f) ſuppeditauerunt, mancae omnes ſunt: ſiquidem ad vnam ſcriptionem pertinent. quum tamen parum prodeſt noſſe literarum ductus: niſi vim earum atque ſonum, tam in ſe, quam in compage aliarum ſcias

II

LITERATVRA occupatur in *literis*, *conceptionibus* atque *loquelis* etiam. In ſingulis literis conſiderari poteſt, *hiſtoria*, *figura*, *poteſtas* et *commutatio* cum aliis: in conceptionibus *materies* ſpectatur et *euenta*, *tenor* nempe, *ſpiritus* ac *tempus*, vt et iuſta ſyllabae in fine verſus *dimenſio*: denique in loquelis, *interpuncta verborum* in cenſum veniunt, et quid *maiuſculam* interſit *minuſculamque* ſcriptionem, nec non *compendia ſcripturae*, *ponderum* et *numerorum notae* ac *figurae* etiam *Orthographicae*

SECTIO

(f) In Orthographiae concluſione: *Orthographia*, inquit, *quemadmodum ſcribi debeat deſignat. p. 2320.* Videtur tamen ad meliorem rediiſſe frugem: ſiquidem in Grammatica, p. 2323, *linguam* in Orthographiae definitione nominat: *Orthographia rectitudo eſt ſcribendi*, inquit, *nullo errore vitiata, quae manum componit et linguam*

(g) Vid. VOSSIVS, *Ariſt. Lib. I, cap. VII, p. 13*

SECTIO II
DE LITERA

CAPVT I
DE MODO QVO LITERAE FINIRI AC DISPESCI POSSINT

I

Literis ab supino *litum*, esse nomen videtur; quod illitae sunt cortici, aut a litura; quod deleri commode in cereis verso stilo potuerunt. Alii literam quasi *legiteram* dictam existimant esse; quoniam legenti iter praebet. In his sunt DIOMEDES, (a) PRISCIANVS, (b) SERGIVS, (c) et ALCVINVS. (d) MARIVS autem VICTORINVS, (e) et hanc retulit huius vocis Notationem. et aliam, quae longius a vero abest, nempe hanc: esse literam, quasi *leuiteram* vocatam, quia *leuet vt iteretur*. Denique VOSSIVS, in Graeco λιτὸς (tenuis) etymon huius vocis quaerit. Alio nomine elementa literae dicuntur, pro-

(a) *Pag. 415*
(b) *Lib. I, p. 538*
(c) *Pag. 1826*
(d) *Pag 2082*
(e) *Pag. 2452*

propter hanc cauſſam, quod, vt elementis omnia in vniuerſitate hac corpora conſtant: ita quoque integrae loquelae, e literis conflantur. PRISCIANVS (f) autem aliquam in his nominibus differentiam deprehendit

VT autem in nomine, ita in literae etiam definitione, varias in partes abeunt priſci Literatores. Sunt, qui eam *minimam partem vocis compoſitae* dicant. Sed ea difinitio nimis vaga eſt: quum quaedam literae in ſe vocem conſtituunt, vt A vel E. Interim tamen ea ſe, tantum non omnibus ex antiquis Grammaticis probavit. ISIDORVS literas *indices rerum et ſigna verborum* dixit. quae nec ipſa ſatis idonea eſt. Iam ſi conſiderem, PRISCIANVM, literam vocem eſſe affirmare, quae ſcribi *indiuidua* poſſit: atque cum ea ARISTOTELIS, qui στοιχεῖον, φωνὴν ἀδιαίρετον vocavit, aliorumque Sophorum, qui ἄτομον (g) literam nuncuparunt definitiones, conferam: parum abſum, quin *articulatam* (h) *eam vocem*

(f) *Hoc ergo intereſt,* inquit, *inter elementa et literas, quod elementa proprie dicuntur ipſae pronunciationes, notae earum literae. Lib. I, p. 539*

(g) Vid. SERGIVS p. 1827

(h) Adhibuit etiam DIOMEDES eam vocem in literarum definitione. ait enim: *Litera eſt pars minima vocis articulatae, ab elemento incipiens, vna figura notabilis. Lib. II, p. 415*

cem esse, *eamque indiuiduam*, cum VOSSIO affirmem: habet enim ea nihil; quam quod ad vnam literam pertinet. Mittamus itaque VELII LONGI quae haec est: *Literam esse initium scriptilis vocis*, aut *initium vocis explanatae*, vna cum aliis, quas idem adducit, literarum finitionibus (i)

II

LITERARVM, quibus hodie vtimur, viginti sunt atque duo: H enim, aspirationis notae, quum definitio literae tribui non potest: nomen pariter literae eidem plane non competit. Variis autem istae literae modis diuiduntur. Primo ratione figurae: aliae enim rectis constant lineis, atque hinc iunceae dicuntur: aliae curuis, quas hydropicas vocant: aliae tandem vtroque sunt ex genere mistae. Respectu qualitatis, in Latinas et Graecas literae dispescuntur: Latinae viginti sunt: Graecae autem, que *in vsum nostrum propter nomina Graeca venerunt*, (k) duo; Y nemque at-

D 3

(i) *Pag.* 2214. Meretur etiam notari SCAVRI definitio, quae ita habet: *Litera est vocis eius quae scribi potest forma.* Refert eam DIOMED. *Lib.II,p.*415. APOLLONII DYSCOLI, GAZAE, aliorumque definitiones literarum, VOSSIVS, *Arist. Lib. I, cap. VIII, p.* 35, constipauit

(k) Haec sunt ipsius DIOMEDIS verba. *Lib. I* p. 15

atque Z. Duas item literae in classes, quando potestatis earum ratio habetur, describuntur: alteram vocalium; alteram consonantium. Consonantium aliae sunt semisonae, aliae, vt ita cum APPVLEIO loquar, insonae. Sunt et aliae simplices; aliae duplices. Poterant etiam secundum organa, Hebraeorum more, distribui hunc in modum, vt G, K, Q atque I consonum, itemque C ante A, O, et V ad palatum: D, L, N, T ad linguam: C ante E et I et R, S, Z ad dentes: atque tandem B, F, M, P, et V ad labra referantur

CAPVT II
DE LITERIS SONANTIBVS

I

VOCALES literae, quas mallem cum APPVLEIO sonantes dicere, inde sunt nomen sortitae, quod per se, et nullis aliis literis iunctae, sonant, vocesque constituunt. (a) Habentur autem apud Latinos in

(a) Eandem Notationem, SERGIVS, in Comment. ad I *Edit.* DONATI, *p. 1827:* ALCVINVS, *p. 2057:* PRISCIANVS, *Lib. I, p. 540:* MARIVS VICTORINVS, cum aliis attule-

in vocalibus A, E, I, O atque V literae, quibus accedit aſcititia Y. quae ratione quantitatis in longas, breues, ancipitemque diſpeſcuntur. (b) Earumque nomina ſimpliciſſimo ſono; et quaſi ſuo ſibi ſatu, vt ait SCALIGER, orta eſſent, efficta ſunt

II

DVCIT itaque totum literarum agmen, A vocale. cuius literae forma maiuſcula, (minuſculam enim iam non curo,) deſumta eſſe a ſuis roſtro poterat: ſus enim eam formam, teſte CICERONE terrae imprimit. Videtur autem in primis eſſe, quas EVAN-

attulerunt. Nec multum etiam ab hac, DIOMEDIS abeſt Notatio haec: *Vocales ideo dictas, quod ad ſcribendum voces articulatas, neceſſariae habeantur. Lib. II, p. 415:* cui Feſtiuam ſtatim ſubiicit ἐπίκρισιν, *ſunt autem*, inquiens, *numero quidem quinque, poteſtate autem ſeptem:* ſiquidem E pro E et H Graecis ponitur; et O ſimiliter pro O et Ω

(b) GALENVS, in primo *Method. Theſſalum*, ita effert: Ἐι δὲ τὰ μὲν Φωνήεντα τέμνων αὖθις, εἰς μακρὰ καὶ βραχέα καὶ δίχρονα. *Si quis ſonantes literas hunc in modum diſpeſcat, vt alias longas eſſe; breues alias, atque alias duas veluti moras exigere, dicat.* PETRO RAMO, id diſcriminis inter vocales videtur intercedere, vt *diductae* aliae ſint: aliae *contractae.* atque ad has quidem O, V ac Y: ad illas autem A, E et I refert

DER in Italiam transtulit Latialibus literis: eo quod suam e Graeco charactere originem, luculenter prodit. In Longobardicis elementis, eandem habet, quam V litera formam. (c) Veteribus autem in monumentis, transuersa, quae medium literae tenet linea, deest: adeo vt Graecorum lambda maiusculum referat. quod TERENTIANO etiam MAVRO (d) obseruatum. Exempli loco hoc esto: FORTVNΛE Φ AVG. SΛCR cet. alia hinc inde apud GRVTERVM, (e) REINESIVM (f) et MABILLONIVM (g) reperiuntur. Inde autem potest aliquo modo intelligi, qui factum, vt lambda, minusculae etiam formae, interdum in lapidibus literatis, pro A fuerit exscriptum, vt in vetusto apud REINESIVM (h) monumento: D. M. IλNVλRIλE MλTRI PIENTISSIMλE. cet. In aliis: COλVMNλE, PORTλ, λEMILIO, legitur. Eadem lectio in Florentino etiam atque Vaticano

VIR-

(c) SCALIGER id ipsum eleganti exemplo, in CATVLLI emendationibus, p. 85, demonstrauit: est enim *maximu* pro maxima apud CATVLLVM

(d) *A Latine*, inquit, *saepe vt* ἄλφα *saepe* λάμβδα *scribitur*, *p.* 1391

(e) *Pag. DCCCCXXX, n. 12: et p. MXCIIII, n. 1*

(f) *Class. I, n. 104*

(g) *De re Diplom. Tom. I, p. 345*

(h) *Class. IX, n. 29.* conf. SPONIVM, *Miscellan. erudit. Antiquit. p. 779*

VIRGILII codicibus occurrit. Peculiare autem eſt hoc, quando A ſonans minori quam reliquae literae figura, reperitur, et deuexam habet lineam, quae alias obliqua eſt, vt in hac Quirinali:

P. CORNELIVS FAVSTVS
SICVANVM
CVM BASE
D. D
DEDICAVIT
IDIBVS APRILIB
IMP. CAES. M. AVRELIO
ANTONINO III IMP VERO
AVGVSTO COS II

Sonus huius literae, vt iam ad eum pergam, inducto aliquanto ore et congruo, ſolo ſpiritu efformatur: vel, *magno rictu*, (RAMI verbis vtar,) *lingua ad palati radices a dentibus reflexa, pleniſſime ſonat.* (i) Aures vero iſte ſonus minime demulcet:

 quam

(i) MARCVS VICTORINVS de eius ſono his verbis exponit: *A litera rictu patulo, ſuſpenſa neque depreſſa dentibus lingua, enunciatur, p. 2454.* Vid. TERENT. SCAVRVS, *p. 2386*

quam etiam ob cauſſam, *inſuauiſſima* a CICERONE litera dicitur. (k) Pro eo autem quo collocatur loco, quaſdam habet ſoni differentias: (l) craſſius enim ſi longa: lenius vero vbi breuiata fuerit, eam efferes. Iſtud autem, continuando ſonum, perinde ac ſi plures formae eiuſdem literae eſſent adſcriptae, vt in *amabam*: (m) hoc autem eum attenuando, effeceris

PER-

(k) Atque hac etiam ex cauſſa, IVSTI LIPSII ſententia, de ſonantibus literis vniuerſe et praecipue de litera A, non omnino improbanda eſſe videtur; qui earum ſonum aliquid *lugubre* ac *moeſtificum*, prae ſe ferre opinatus eſt. Habet etiam ARTEMIDORVM omni ex parte conſentientem. qui τῶν γραμμάτων, inquit, τὰ μὲν φωνήεντα, καὶ φόβους καὶ ταραχὰς σημαίνουσι. *Quae in literis vocales ſunt, metum quendam et conturbationem innuunt. Lib. III, cap. XXXIV*

(l) Eſt quidam ex vetuſtis Grammaticis, qui quatuor ſoni differentias, in hac litera ſibi obſeruaſſe videtur. *A quatuor*, inquit, *habet ſoni differentias: cum habet aſpirationem, et acuitur vel grauatur: et rurſus cum ſine aſpiratione acuitur vel grauatur, vt habeo habemus, abio abimus. Longa vero eadem ſex modis ſonat, cum habet aſpirationem, et acuitur vel grauatur, vel circumflectitur, vt hámus hàmorum hâmus. Et rurſus ſine aſpiratione, acuitur vel grauatur, vel circumflectitur, vt árae àrarum âra*

(m) Quam etiam ob rem priſci duplex AA his

PERGAM ad vocalis huius demutationem. Vniuerſe autem inde eſt literarum mutatio repetenda, quod aliae ſunt aliis, quadam veluti cognatione iunctae, et ita inter ſe conueniunt, vt vna poni alius vice potuerit. Oritur autem alia commutatio e *conſuetudine*; alia ex *inflexione*; e *deductione* alia, et alia e *compoſitione*. Adiectae inſuper quaedam a caſcis Romanis literae loquelis ſunt, quae abeſſe poterant: aliae vero demtae. Potiores in his, qui omni de literarum mutatione expoſuerunt, AVSONIVS POPMA, (n) IVLIVS CAESAR SCALIGER, (o) atque CLAVDIVS DAVSQVIVS (p) eſſe videntur. Non raro autem A ſonans, (vt iam me eo vnde diſceſſi recipiam,) redundat, vt in NVMONII legati QVINCTILII VARI numo: VAALA eſt pro vala a vallo. In tabula lapidea, quam SMETIVS vidit: Lx BETILIENVSx Lx Fx VAARVS. Aliis in monumentis PAARꟷILIA, THRAACVM, AA CAETERIS. Atque hoc eo conſilio factum a caſcis fuit, vt pinguem ſonantis literae ſonum dignoſcere, abs

his in vocibus vſurparunt. de quo ſtatim dicam

(n) Tribus in capitibus *Lib. I, de Vſu antiquae Loquutionis*

(o) In *Lib. de Cauſſis Linguae Latinae. Lib. I, cap. XX* vſque *XXXV*

(p) In *Orthographia, Tom. I, Tract. II, Sect. III, IV et V*

abs tenui possent. Quoties enim cunque grauis esset literae sonanti sonus asserendus, bis eam literam, cum ante LVCIVM ATTIVM natum; (q) tum eo viuente, et aliquanto post eum defunctum posuerunt. et quidem *apicis*, vt QVINCTILIANVS monet, loco. E consuetudine autem repetendum hoc, quando A fuit in E mutatum; vt *defetiscor* et *depetiscor* pro defatiscor, CICERO et TERENTIVS vsurpant: *depecisci* pro depacisci, GELLIVS et VLPIANVS: *aequiperare* pro aequiparare, ENNIVS: *praeperatus* pro praeparatus, GELLIVS: *edor* pro ador, FESTVS: *dicem* et *faciem* pro dicam et faciam, QVINCTILIANVS: PRIEPO pro PRIAPO, Albae Iuliae inscriptio habet. Ita quoque passim *Hieronice* pro Hieronica: *Cassiane* pro Cassiana: *sepero* pro separo: QVINQVEGINTA pro quinquaginta: *Alemannia* pro Alamannia. Eam enim iustam esse huius vocis scripturam, e CRISPI et CONSTAN-

(q) Ait enim QVINCTILIANVS: *Vsque ad* ATTIVM *et vltra porrectas syllabas geminis vocalibus scripsere. Lib. I, cap. IIII.* Itaque parum sibi VELII LONGI sententia constat, qui ATTIVM in auctoribus huius scriptus videtur habuisse. Ceterum hac lege *maalus* in pometo, ab eo quod *malum* est, ipsa scriptura discerni poterat

STANTINI iunioris numis conſtat. Eadem litera in I aliquando eſt conuerſa. Adhibet enim VARRO *Fontinalia* pro Fontanalia: *Bachinalia* pro Bachanalia, PLAVTVS: *librile* pro librale, FESTVS: *ſubigitare* pro ſubagitare, TERENTIVS: *beneficere* pro benefacere, Florentinae ſcriptiones: *vocitus* pro vocatus: *probitus* pro probatus, variis in locis. Ita quoque priſci homines, ſubiunctiuos tertiae coniugationis ſcripſere per IM, vt *edim*, *arceſſim*, cet. Porro in V, A litera fuit mutata, vt *fabulia* pro fabalia. quod LVCILLIVS probat: *condulus* pro condalus, FESTVS: *pedule* pro pedale, Grammatici: *depuuit* pro depauit, LVCILLIVS: *ſculpo* pro ſcalpo, PLAVTVS. (r) Inflexione, A breue in longum, vt *laris* a lar: in E longum, vt *feci*

(r) Parum abſum, quin mihi perſuadeam, omnem iſtam demutationem inde eſſe repetendam, quod Longobardico in charactere, vna eſt A et V literarum eademque figura, Vid. BARING. *Tab. Alph. II, n. IX.* Ceterum nolui his in demutionibus commemorare, H pro A poni, vt HECATE ſit pro AECATE: nondum enim exploratum iſtud habeo. Sed ea eſt haec litera quibuſdam in numis figura exſcripta, vt propius ad H notae formam accedat: nempe in hunc modum Ϫ. Vid. RVHE *l. c. p. 3*

feci (f) a facio : *ieci* ab iacio : A longum in E breue, vt *fefelli* a fallo : in I longum, vt *cecidi* a cado. A longum vero in E longum, ut *steti* ab stas : in I longum, *locis* a loca. quod vniuerse in sexto plurali primae declinationis fieri amat. Deductione, in quadam, quae ex Graecis deducta est voce, in V est conuersum, vt *triumphus* a θρίαμβος. Item in Latinis, A breue in longum transit, vt *atrox* ab ater : in O, vt *venox* a vena : A longum in E longum, vt *imberbis* a barba. Compositione, A breue in E breue conuertitur, vt *consecro* ab sacrum : in I breue, vt *abigo* ab ago : in I longum, *instigo* ab insto et ago

III

E VOCALI, quadrata illa figura cascis inde a temporibus, fuit. Inuersum autem nonnunquam literatis in lapidibus apparet, vt in eo qui Arelate eruderatus est:

D ⦶ M
IVL. C. F. TƎRTVLIN
FLAM. COL. APTA
L. VALLIVS. ATILIAN
NEPOS

Grae-

(f) Nihil est quod hanc mutationem mirere:

Graecanicam insuper formam induit, vt in PHOCAE (t) numo inscriptio haec est: DNN FOCAS PЄRAVG VICTORI A AVGYI: in HERACLII, HЄRACLIVS P P AVG VICTORIA AVGVSTORVM: LEONIS ISAVRI, DN FIL ЄPICVS VICTORIA AVGYZ. Effertur haec litera *reprehenso modice rictu oris, reductisque introrsum labiis.* (v) Refert Graecorum H et E. Istud quando pingui sono enunciatur; vt in *sedes*: hoc, quando exilis iste et accentu destitutus est, vt in *melle*. Auctor CAPELLA

ABVNDAT E variis in loquelis, vt SYLLAE in numo legere est, FEELIX. Aletri in Latio: SEEDESx cirCVMx BALINEARIVMx LACVM, cet. Atque hoc latiorem eius sonum arguit. quem geminato etiam II veteres indigitarunt, vt Romae in hortis Mediceis:

D. M

rere: veteres enim ista praeterita per AE scripserunt, quod quum in desuetudinem abierit; altera tamen biuocalis litera asseruata est

(t) Vid. BEGERVM, *Thes Brandenb. Tom II, p. 854.* In altera parte effigies PHOCAE; in altera Genius conspicitur

(v) Haec habentur apud MARIVM VICTORINVM, *p. 2454.* Conf TERENTIANVM MAVRVM, *p. 2386.* Ceterum LIPSIVS quadruplicem eius literae enunciationem arbitrariam esse existimat. *Cap. VII, p. 21*

D. M
L. IVLIVS ACATHOPVS
IVLIAII CALLISTII
NI. PATRONII. SVAE
FECIT. BIIANII. MERENTI

Hoc in monumento BIIANII eſt pro BEANE, et per Metatheſin pro baene. (x) Mediolani item BIINII MIIRIINTI: *mebe*, id eſt *mee*, pro me apud QVINCTILIANVM (y) legitur. Vnum etiam I pro E Romani repoſuerunt, vt *circumſico* pro circumſeco, VARRO: *exſico* pro exſeco, PLAVTVS: *luciſcit* pro luceſcit, TERENTIVS: *conſiptus* pro conſeptus, ENNIVS et VARRO: *augiſco* pro augeſco. iidem: *putiſco* pro puteſco, VARRO: *mius* et *mios* pro meus, PRISCIANVS et TERENTIVS, VELIO LONGO interprete: MIRCVRIVS pro MERCVRIVS, Firmi in Piceo: EXIAT pro exeat: PONTIFIX pro pontifex: CAVIAS pro caueas, in inſcriptionibus: DVMNI item pro dumne: GIM. pro gemini. cet. Solemne etiam veteribus erat, vt E atque I in fine loquelae coniungerent. quod eo conſilio ab ipſis

(x) Itaque hinc exſculpi non poteſt, magis latum huius literae ſonum, *ad A tenue nonnihil inclinare*. quod tamen LIPSIVS vult

(y) *Lib. I, cap. XI*

ipſis factum fuiſſe videtur, quo eo commodius ES longum a breui dignoſci poſſet, vt in DVILII columna roſtrata: CLASEIS POENICAS OMneis, pro claſſes Poenicas omnes. Apud TERENTIVM et PLAVTVM nihil frequentius eſt hac ſcriptura, vt in *omneis*, *caedeis*, *ciueis*, *homineis*. quin, ipſum etiam apud CICERONEM ea ſcriptio aliquoties reperitur. O pro E adhibitum fuit, in *vorſus* et *vortices*. in quibus *primo* SCIPIO AFRICANVS *in E literam ſecundam vertiſſe dicitur*. (z) *Volim* pro velim, LVCILLIVS: *aduorſa* pro aduerſa, CASSIODORVS: *vortex* pro vertex, idem: *votare* pro vetare, CORNVTVS. V pro E poſitum, in gerundiis potiſſimum, et in paſſiui etiam futuro participio, (aa) vt in Carpuniae et Seruiliae gentis numo conſulari legitur: IIIVIR AD FRV EMVN. (pro emendas;) EX. S. C. Sagunti in lapide: DICVNDO QVAESTORI: FAMILIAE ERCISCVNDAE, eſt in duodecim tabu-

(z) QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. VII.* Conf. DAVSQVIVS *l. c. p. 37*

(aa) *Apud antiquos*, inquit PRISCIANVS, *quotieſcunque ND ſequuntur in his verbis quae a tertia declinatione naſcuntur, loco E, V ſcriptum inuenimus, vt faciundum, dicundum, legundum, p. 552*

E

tabulis, TERENTIO ARSA ſuadente, conſcriptis: *deuebundo* pro deuehendo, APPVLEIVS: *reddunda* pro reddenda, LVCRETIVS: *viſundi* pro viſendi, SALLVSTIVS, habent. Immo vero, apud CICERONEM etiam in Verrinis legitur: *repetundis* pro repetendis. Atque ea mutatio vtriuſque literae cognationem prodit, et hodienum etiam in figuris Orthographicis obtinet. de quibus infra dicendi locus erit, flectitur E breue in E longum, vt *ſeui* ab ſero: in V breue, vt *pepuli* a pello: E longum in breue, vt *fidei* a fides: in A breue et longum, ANCHISES, ANCHISA ſexto et quinto in caſu: in I breue, vt *culminis* a culmen: in longum, *iui* ab eo. In iis quae a Graecis deductae ſunt loquelis, tranſit in I, vt tingo a τέγγω: in O, vt vomo ab ἐμῶ: in V, vnus ab ἑνός. In Latinis E longum in breue, vt *ſedile* ab ſedes: in O, *toga* abs tego: in V, *tugurium* abs tego: vt et in AE, vt ſaeculum, ſiue id ſit quaſi ſeneculum ab ſenectute. quod tamen non omnino probauerim: ſiue ab ſequi deducatur. Enimuero *in* SEPTIMII SEVERI apud FRANCISCVM ANGELONIVM numiſmate, SECVLO FRVGIFERO COS II, legitur. In vocum compoſitione, E longum in I breue tranſit, vt *colligo* a lego

IIII

IIII

I VOCALE, ſubinde pendula illa forma fuit exſcriptum. Eductum frequenter et eminens aliis in literis conſpicitur, vt in DVILII columna: MARID· CONSOL· PRIMOS· Cepit. quod potiſſimum factum videtur tum; quando quantitate porrecta ſyllaba eſſet: vt contra ea I correptum interdum minori, quam alias literas forma exſcripſerunt, vt Genevae in ſchola:

APOLLINI
MVERATiVS
MERCATOR

Sonat I vocale, dentibus linguae propius admotis. (bb) Atque hic exilis proprius literae huius et veluti natiuus ſonus eſt: alius ei eſt interdum et latior. qui propius

(bb) TERENTIANVS MAVRVS, de I vocalis ſono, ita canit:

I porigit ictum genuinos prope ad ipſos,
Minimumque renidet ſupero tenus labello.

Pag. 2386. LIPSIVS autem de ſono eius legitimo ita fatur: *Os mihi laxius aperi, et cum conatu, inferiori mandibula nonnihil in latus flexa.* In *Dial. de L. L. Pronunc. Cap. VIII, p.* 23

pius ad literam E accedit: quin, non alienus interdum, ab ſono biuocalis EI videtur eſſe: quod veteres CLASEIS pro claſſis ſcripſere. (cc) de quo ſtatim fuſius dicam. Non autem apud Latinos vnice; ſed apud ipſos etiam Graecos, (dd) EI, ſonantis I locum occupat. Atque vni ſunt Britanni, apud quos hodie ſoni huius quaedam veſtigia exſtent. ſcribunt enim *ameicus*, *veita*, *regeina* (ee) per EI

VETERES duplici interdum II pro vno porrecto vſi ſunt, vt VIIRTVS in GALBAE numo: Albae Iuliae:

MESTRIVS. MARIINVS
PICTOR. CONSTITVIT
PRO. SALVTE. SVA. ET
SVORVM
FANVM. DOMINAR (ff)

Item

(cc) Ergo demutationes literarum nouiſſe eo facit, vt quinam iuſtus ſit literarum ſonus intelligere poſſis

(dd) LIPSIVS e lapide priſco adducit, TEXNEITAI pro τεχνῖται

(ee) Idem, *Dial. d.LL. Pron. cap. VII, p. 24*

(ff) Immo CICERONI etiam *placuiſſe aiio*, MAIIAM *que ſcribere*, ſciendum eſt. Vid. QVINCTILIANVS *Lib. I, cap. IIII.* VELIVS item LONGVS et MAXIMVS VICTORINVS eam ſcriptionem probant. Conf. DAVSQVIVS, *Tom. I, ſect. II, p. 31*

Item pro correpto, vt Caſtali in Hiſpania:

D. M. S
MEMMIAE. CARETOSAE
VIC. ANN. LXXXX. M. III
F. F. PIENTISSIIMI

Immo triplex etiam III PRISCIANVS, in nomine POMPEII ſcribendo, adhibuit. Contra ea autem duplex etiam I, ſiue vocale alterum fuerit; ſiue conſonum, in vnum veteres conuerterunt. idque iam eductum, vt in DIS MAN. iam non, vt in *reice* pro reiice, *deice* item, *proice* et *adiciam*, quae in Mediceo VIRGILII codice habentur. (gg) Nonnunquam plane deeſt, vt in Ianiculo:

CIPPVS. DECMVS. A. CIPPO
DECMO. AD. PRIMVM. PED
LXXXXVII

vbi DECMVS eſt pro decimus. Obtinuit etiam ea apud veteres conſuetudo, vt EI

E 3 biuo-

(gg) Conf. F. HENR. NORISIVM, in *Cenotaphiis Piſanis*, *Diſſ.* IIII, *p.* 473. (edit. Venet. *Ann.* 1618)

biuocalem pro I vsurpauerint, (hh) vt LEIBERTAS et EID. MART, in Cassiae et Iuniae gentis: SERVELLIVS et PREIMVS, in Seruiliae gentis numis: DEIDIVS in Didiae: Aletri, QVA INx ARCEMx EITVR: in cippo quopiam FEIDO. FEIDA VIRO VEIXSIT. Praecipue autem id in sexto secundae casu plurali vsu venit, vt in numo thesauri Arnstadio Schwarzburgici: CAESAR COS VII CIVIBVS SERVATEIS: CASTREIS et SOCIEIS in columnae rostratae basi. Eandem etiam fortunam datiui tertiae sunt experti, vt VRBEI, quod in argenteo NERVAE numo habetur. E pro I scribitur, vt SALVTI DEANAE, veteri in kalendario, et NERONIS etiam ac DOMITIANI in numismatibus: BASILICAM CALECANDAM pro calicandam, id est calce liniendam

(hh) LVCILLIVS ea de re, hunc in modum canit:

Iam puerei venere, E postremum facito, atque I
Vt plures puerei fiant. I si faci' solum,
Pupilli, pueri, LVCILLI *hoc vniu' fiet.*
Hoc illi factum est vni: tenue hoc facies I.
Haec illei fecere: addes E vt pinguiu' fiat.
Meille hominum, dic meillia, item hinc vtroque opu' meiles
Meillitiam. Tenues I pilam, qua ludimu', pilum
Quo pinso tenues I plura haec feceri' peila
Quae iacimus, addes. E, peila vt pleniu' fiat

dam, in Aletrii marmore: CEPET et PVGNAVET, pro cepit et pugnauit, in columna DVILII roſtrata: *Leparenſes* pro Liparenſes; *mageſter* pro magiſter; DIIOVE pro DIIOVI; MENERVA pro MINERVA; *leber* pro liber, QVINCTILIANVS. O pro I ſcriptum, in veteri apud REINESIVN inſcriptione, in qua APOLLONI AVG. legitur. Eadem ſcriptio in IVLIANI numo deprehenditur. Refert autem haec ſcriptura Graecum huius nominis declinatum. *Olli* pro illi, ENNIVS et LVCRETIVS; *agnotus* pro agnitus, VIRGILIVS et PACVVIVS habent. Reperitur etiam *homonem* pro hominem. V vocale, I literae vicem ſuſtinet, vt in CONSTANTINI apud GOLTZIVM numo legitur: GERMANICVS MAXVMVS: OPTVMVS MAXVMVS, in literatis lapidibus. quibus in vocabulis CAIVS (ii) Caeſar, primus I literam fertur ſcripſiſſe. In numo GALBAE, QVADRAGESVMA pro quadrageſima legitur. AVRV-

QVINCTILIANO autem ſuperuacaneum iſtud E videtur eſſe; *quia I tam longae vocalis quam breuis ſpatium occupet.* Duplex EE commodius in his ſcribi putat poſſe. *Nam in iis,* inquit, *quae proximam ab vltima literam E habebunt, et I terminabuntur, illam rationem ſequentes vtemur EE gemina, qualia ſunt haec: aurei, argentei et ſimilia. Lib. I, cap. VII*

(ii) QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. VII*

FEX etiam pro aurifex; INFELICISSVMA pro infeliciſſima MANVPVLARIVS pro manipularius; STVPVLAE pro ſtipulae, in vaſto GRVTERI inſcriptionum corpore reperiuntur. PIISSVMVS pro piiſſimus eſt apud REINESIVM: *ſuo* paſſim pro ſio. *Inclutus* autem pro inclitus: *lacruma* pro lacrima, quum CICERONI etiam probentur, nihil iam obſtat, quo minus hodie ita exſcribantur. Y pro I eſt repoſitum, in muſaeo Cardinalis Carpenſis:

D|IS. MANIBVS
C. IVLIVS. FALIX
A'. BYBLIOTHECA
GRAECA. PALAT

Item in vocibus AEGYNA et TYSANDER. AE pro I, in *exquaere* pro exquire ſcriptum. Per inflexionem, I breue cum longo commutatur, vt *audiui* ab audio: in A, *ſiqua* ab ſiquis: in E breue, *rapere* ab rapio: in V breue, *alitum* ab alitis. Contra, I longum degenerat in breue, vt *ambitus* ab ambire: in A longum, *qua* abs qui: in V longum, *cuius* abs qui, quod olim quoius ſcriptum fuit. In iis vocabulis quae Graecis ſuos natales debent, ver-

vertitur in A, vt tango a θιγγάνω: in E, vt cancer a καρκῖνος. Interdum excluditur prorſus, vt per a περὶ In Latinae originis vocibus, I longum in breue mutatur, vt *dicare* a dicere: breue in longum, *villa* ab via: in E, vt *illex* ab illicio: in V, *ſpecula* ab ſpecio

$\overline{\text{V}}$

O LITERA ſonans, quadratam aliquando apud Graecos formam induit. cuius rei exempla VOSSIVS, (kk) veteribus in libris ac tabulis vidit. Quando ea effertur, os ſolet aliquanto laxius aperiri: lingua autem introrſum reduci. (ll) Reſpondet O Graiumeno, quando impendas aliquam ſono moram, vt *Praetorem:* minori autem Graecorum O, ſi immune abs tono eſt, vt in colloco. (mm) Habet inſuper eam vim, vt exurgentem efficiat orationem

ac

(kk) *Sunt et aliae Graecorum*, inquit, *literae, quas alia longe figura ſcriptas inuenias in vett. lapp. et libb. ſane in iis* Θ, O, Φ, *ſaepe pro figura rotunda habent quadratam. Ariſt. Lib, I, cap. XXX, p.* 112

(ll) MARTIANVS CAPELLA, pauciſſimis verbis rem comprehendit, hunc in modum: *O, rotundi oris ſpiritu comparatur*

(mm) TERENTIANVS MAVRVS, eam rem his verſiculis exponit, qui conſequuntur:

O Gra-

ac ſublimem,(nn) ſi frequentius vſurpetur. Cognita autem haec litera Thuſcis atque Vmbris non fuit

ABVNDARE O in quibuſdam GALIENI numis videtur. quibus haec eſt epigraphe: COOR· PRAE. pro cohortium praetoriarum. Compendiaria autem vocis huius ſcriptio eſt CORS non COORS. Pro O ſonanti, E interdum ſuffectum reperitur, vt APELLINEM pro APOLLINEM, FESTVS: *ſpeſpondi*, *peposci* et *memordi*, pro ſpoſpondi, popoſci et momordi, NONIVS atque GELLIVS: *compes* pro compos: *hemo* pro homo, FESTVS. I pro O exaratum eſt, vt in numo quopiam apud VAILLANTIVM (oo) SISPITA, IVNONIS

O Graiumenum, longior altera eſt figura,
Alter ſonus, atque temporum nota variata.
Compendia noſtri meliora crediderunt,
Vocalibus vt non niſi quinque fungeremur:
Productio longis daret vt tempora bina;
Correptio plus tempore non valeret vno.
Pag. 2386

(nn) MARIVS VICTORINVS, hac in re videtur diſſentire, dum ſonum eius, quando longum ſit, auribus nimis inimicum eſſe vult. *Longum*, inquit, *productis labiis, rictu tereti, lingua arcu oris pendula ſonum tragicum dabit. Pag.* 2454

(oo) *Numiſmat. Imperat. Praeſt. Tom. I, p. m.* 98. Apud OCCONEM etiam et ANGELONVM, PII et COMMODI Caeſarum numi, in quibus iſta ſcriptio obtinet, exſtant

NIS cognomentum, pro SOSPITA legitur. Idem apud FESTVM est. DIEQVINTI pro die quinto, quopiam in monumento inuenitur. V sonans, quum teste PRISCIANO, maxime affinis (pp) O literae est, mirum iam non potest videri, saepe V et O literas inter se esse commutatas. Est quaedam Arelatensis agri inscriptio, in qua legitur: M. FRVNTONI. EVPOR. pro FRONTONI: in Farnesiano FESTI fragmento, *rutundus* et *summus* pro rotundos et summos: Alhambrae in Hispania: PRAEFECTO RVM. pro Romano: VNV LOCV pro vno loco; AGRV pro agro. Per declinatum atque deductionem temporum, O breue producitur, vt *pulmonis* a pulmo. In A etiam breue transit, vt *dare* a do: in A longum, *sanaui* ab sano: in E breue, *legere* a lego: in longum, *legerunt* a lege: in I breue, *grandinis* a grando: in longum, *scidi* ab scindo: in V correptum, *domui* a domo: in productum, *sequutus sum* ab sequor. O longum autem in V longum conuertitur, vt ERATVS ab ERATO: in I denique correptum, vt *agnitum* ab agnosco. Descendentes a Graecis voces, variis id immutatum modis habent: nam conuertitur in E, vt genu a γόνυ: in I, imber ab ὄμβρος: in

(pp) QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. IIII*, vt et VOSSIVS, *Arist. Lib. I, cap. XII, p. 55*

in AV, aurichalcum ab ὀρείχαλκος. In Latinis in A, vt *dicax* a dico: in E longum, *tutela* abs tutor: in breue, *bellus* pro bonulus, a bonus. In I longum, *amicus*; breue, *amita*. vtrumque ab amo: in V, *tegula* abs tego. Compositione, O breue in longum transfertur, vt *consolari* ab solus

VI

V, FERALIS litera, ita enim AVSONIVS eam vocat, sonantium literarum agmen claudit. Forma eius ex Graeco Y, reciso scapo, siue *virgula vincta*, vt ait MARIVS VICTORINVS, *recisa*, videtur efficta esse. Qua tamen in re SCALIGER maxime dissentit, vtpote qui Farnesiana (qq) deceptus columna, contendit, tantum abesse vt hoc valeat, vt potius Y literae forma, ab V desumta fuerit. Sunt autem qui aliam quoque huius literae figuram Latinis fuisse existiment; nempe hanc ligabilem: U.

(qq) Nempe Ionum literis exaratam eam esse existimauit, quod secus esse SALMASIVS euicit. Vid. VOSS. *Arist. Lib. I, cap. XXIX, p. 109.* Ceterum, quo probatione suae sententiae eo melius defungatur SCALIGER, AVGVSTI etiam numum attulit in medium, in quo legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙϹΑΡ ΑΥΓVϹΤΟϹ. Nequit autem AVSONIVS, SCALIGERI cum sententia conciliari. ait enim:

Cecropiis ignota notis
ferale sonans V

U. vndę arcuato flexu efficta fuerit haec: U. (rr) Atque ista altera quidem in Baduell numo, cui inscriptum: BADUELA FLUREAS ZEMPER, occurrit. Eadem quoque in Florentinis atque Vaticanis, VIRGILII et PRVDENTII codicibus reperitur. (ſſ) Haec ad maiusculam scriptionem spectabant. In minuscula item scriptura WOBERI in MINVCIO FELICE, (tt) aliisque scriptionibus, ligabilis ista forma, et multo quidem, quam in maiuscula frequentius, vsurpata fuit. Videtur autem ea figura Gothico e charactere subrepta esse: namque in Gothico Alphabeto, cuius VLFILA (vv) auctor est, habetur: vel etiam e Longobardico. (xx) Iam

(rr) Belgis et Gallis lunatam hanc figuram CELLARIVS tribuit. *Qui ergo*, inquit, *antiquitatem imitantur, abstinent noua forma U, seu vt nostra memoria a Belgis et Gallis rotundari in basi caepit*, U. *Orthogr. p.* 11

(ſſ) Exhibet quaedam horum codicum fragmenta MABILLONIVS, in *Lib. de re Diplom. p.* 354

(tt) Prodiit, *Ann.* 1603. Vid. CELLAR. l. c

(vv) Exhibet istud, EZECH. SPANHEMIVS, in *Dissert. de Vsu et Praest. Numismat. Tom. I, Diss. II, p.* 114. Item DAN. EBERH. BARINGIVS, in *Claui Diplom. Tab. Alphab. I, n. IIII*

(xx) Habetur apud BARINGIVM, *Tab. Alph. II, n. IX*, Longobardicum saeculi VIII Al-

Iam vero diſpiciendum, vtrum hodie etiam ea adhibenda ſit; nec ne. Eſt autem vncialis et minuſculae ſcripturae diuerſa ratio: atque in hac quidem illa vti licet; in illa non item. Ratio haec eſt, quod eius formae in lapidibus Capitolinis aliiſque omnibus, nec vola nec veſtigium adeſt: neque poteſt etiam quidquam auctoritati, quorundam et Vaticani codicum, tribui tum, quando numi (Baduelem non curo) et lapides omnes, inueterataque Romanorum conſuetudo obuerſatur. Minuſcula autem in ſcriptione, probatas ſequimur ſcripturas, et quae propius ad noſtram aetatem accedunt: quod Romani ſero eam adhibuerunt et parce admodum. Quum autem vero admodum ſimile ſit, incidiſſe homines in ligabilem hanc formam, ταχυγραφίας ſtudio, vt nempe eo commodius aliis literis iungere hanc poſſent: conſequitur inde, vt non niſi media in loquela ea vſi fuerint: ſiquidem ab initio vocis ſuperuacaneum id fore ipſis videbatur. Atque hanc ſcribendi rationem, quum in deſuetudinem aliquanto abiiſſet, denuo IOANNES PETIT et IOANNES BARBIER, (yy)

(yy) Alphabetum, in quo iſta forma reperitur. Eademque pagina in Alphab. ſaeculi VI, n. V: in Pſalterii Alph. n. VII: in Carolino, n. X, vt et Tab. IIII, ea pariter forma videre eſt

(yy) Parisienses Typographi, adhibuerunt. Qui autem ligabilem illam V literae formam nulla habita initii atque medii vocis ratione adhibendam putant, exempla quaedam, excusa recens inuenta typographia, et non optimae notae manuscripta, prae se ferunt. quos non omnino probauerim. Sunt tamen multo, quam hi tolerabiliores, qui *u* sonantem esse, *v* autem semisonantem literam volunt. Quantumuis enim non negauerim, eam differentiam, aliquanto faciliorem reddere pronunciationem, apud hos qui vni lectioni animum intendunt: nemini tamen integrum esse existimauerim, vt scriptionis leges, a priscis Latinitatis cultoribus latas rescindat; aut ad suum arbitratum attemperet. Praeter haec, non desunt etiam alia, quae scribuntur aliter; aliter leguntur, vt T. in *negligentia*, quemadmodum C effertur: item in biuocalibus AE et OE, lectio parum scriptioni, vt nunc est, respondet: neque tamen de iis mutandis quisquam cogitauit. Haec hactenus. Constricto aliquanto ore haec litera emittitur. (zz) atque sonus ipsius

(yy) Edidit ille OROSIVM, *Ann.* 1510. Vid. CELL. *p.* 11

(zz) *V literam quotiens enunciamus*, inquit MARIVS VICTORINVS, *productis et coeuntibus labris efferemus. p.* 2454

psius Graeco cum Y (a) quam maxime conuenit. quin immo, non multum abest ab sono biuocalis OY. (b) Habet autem hoc commune cum aliis e vocalibus, vt iam latum, iam exilem sonum emittat. Quid vtrumque sonum intersit, VARRO (c) in *pluit* et *luit* vocabulis, (scriptu enim praeteritum a praesenti his in vocibus dignosci nequit,) luculenter ostendit. Valde autem accommodatus huius literae sonus, rebus est abstrusis et obscuris efferendis. Ceterum, PRISCIANVS testatum facit, hanc literam a multis Italiae incolis, in sonantibus

(a) Id inde probatur, quia positum quondam V pro Y fuerit: ait enim DONATVS in *Hecyr. Act. I, Scen. II: Syra sura veteres legerunt, V pro Y ponentes.* Exempla plura alibi adferam

(b) TERENTIANVS MAVRVS, eo de argumento canit in hunc modum, *2386:*

Subiecimus illam cui nomen V dederunt
Vocalem, sonantes quae sibi iungeret omnes,
Et sola sonum redderet ex sua figura:
Quam scribere Graius nisi iungat Y nequibit.

(c) *Lib. VIII, de L.L. p. 136.* (Edit. Lugd. GRYPHII) *Quidam reprehendunt*, inquit, *quod pluit et luit dicamus in praeterito, et praesenti tempore, cum Analogiae sui cuiusque temporis verba debeant discriminare, falluntur: nam est ac putant, aliter, quod in praeteritis V dicimus longum luit, pluit, in praesenti breue luit, pluit. Ideoque in venditionis lege fundi ruti caesa ita dicimus vt V producamus*

bus habitam non fuiſſe. Quid, quod ipſi etiam caſci Romani eius loco O adhibuerint. quod idem (d) ex PAPIRIANO probat

GEMINVM VV pro vno longo ſcriptum, vt Bracaraugustae in Luſitania:

ISIDI. AVG. SACRVM
LVCRETIA. FIDA. SACERDOS. PERP
ROM. ET. AVG.
CONVENTVVS. BRACARAVG. D

Eborae: DOMVVS Q. SERTORII. Fuluiana in tabula: P. MVVCIO COS: item, LEXQVE IVVSQVE ESTO. (e) Interdum abundat, vt Neapoli: CVRATOR TEMPVↄI, pro templi: Lugdu-

(d) *V quoque multis Italiae populis*, inquit, *in vſu non erat, ſed e contrario vtebantur O, vnde Romanorum quoque vetuſtiſſimi in multis dictionibus, loco eius O poſuiſſe inueniuntur, poblicom pro publicum, quod teſtatur* PAPIRIANVS *de Orthographia.* PRISC. *Lib I, p.* 554

(e) IVSTVS LIPSIVS huc etiam TERENTIANI locum ſpectare putat, qui ab ipſo emendatus ita habet:

- - - - OY litteris noſtris vacat:
Sola vocalis quod VV complet hunc ſatis ſonum

Lugduni, L V G V D. Eadem omittitur etiam, vt Romae in Iesuitarum collegio:

SIGNVM
HERCVLIS
DORVS. LARC
DISP. QVI. ANTE. VILLICVS
HVIS. LOCI
D. D

vbi HVIS pro huius est. Conuersum V sonans fuit in E, vt in vetusta apud DAVSQVIVM inscriptione, DEO FVLGERATORI est pro fulguratori: *auger* et *augerium*, pro augur et augurium, PRISCIANI est inscriptio. I pro V vt Romae iuxta SATVRNI aedem:

L. PLANCVS. L. F - - - - -
IMP. ITER DE. MANIB - -

Quo in monumento MANIB. pro manubiis positum est. Alibi ETRISCVS pro Etruscus: CONTIBERNALIS pro contubernalis: *simus* pro sumus, MARIVS VICTORINVS habet. Quam saepissime autem in numis et monumentis factum, vt O sit pro V exaratum, vt in VVLCANI numo argenteo, DEO VOLKANO: in

in Volteiae gentis numo, VOLTEIVS legitur: DIVOS pro diuus, in IVLII et AVGVSTI Caesarum numis: lamina Spoleti habet: FACIONDAM DEDERONT: inscriptio ad Capenam portam, CONSOL pro consul: *equom*, *auom*, *seruom*, pro equum, auum, seruum, TERENTIVS SCAVRVS: *polchrum* et *colpam* pro pulcrum et culpam, PRISCIANVS. qui etiam obseruauit, hanc demutationem potissimum susceptam tum, quando digamma antecederet. (f) Y pro V scriptum priscis Literatoribus, vt Interamnae marmorea in basi:

IYLIO. EYBYLIDAE
C. Y. CORR. TYSCIAE
XYIRO. PRAEFECTO
AERARI. S. SATYRNI
OB. INLYSTRIA. IPSIYS
MERITA. ET. AMOREM. IYX
TA. CIVES. ORDO. INTE
RAMNATIYM. PATRONO

(f) *Lib. I, p. 554.* QVINCTILIANVS autem minus probat eum scriptum: sed VV geminum scribi in his vult. *Lib. I, cap. VII.* Capite autem IIII, varia eius mutationis exempla suppeditat, vt HECOBA, *notrix*

Vbi iam pro longo V, Y litera eſt poſita, vt in IYLIO: iam pro breui, vt in INTERAMNATIYM. Flexu, V breue in A breue conuertitur, vt *corna* ex cornum: in E breue, *generis* a genus: in I breue, *capitis* a caput: in O breue, *foenoris* a foenus: in I longum, *boni* a bonus. Deductione, V in I mutatur, *Quirites* a curis: in O *pignoratio* a pignus. Compoſitione, in E vertitur, vt *peiero* ab iuro

VII

Y, ASCITITIA vocalis, propter hanc cauſſam ciuitate Latina donata eſt, quod *quaedam in noſtrum ſermonem Graeca nomina admiſſa ſunt, in quibus euidenter ſonus huius literae exprimitur, vt Hyperbaton et hymnus*, cet. (g) Eſt autem ὔψιλον Graecanica litera ſonans, quam alii fuiſſe in ſedecim a CADMO allatis ſciſcunt: alii eam in Ionico Alphabeto, loco ϙ literae Cadmeae adhibitam eſſe, volunt. (h) SCALIGER vero in

(g) Depromſi iſtaec verba, ex SCAVRI *Orthographia, p. 2260*

(h) Occurrit forma ϙ (*κόππα* dicta, vel Phoenicum Coph) *in antiquis aliquot et ſingularibus Graecorum numis*, teſte EZECH. SPANHEMIO, *Diſſ. II, p. 90.* qui etiam hanc quam commemoraui ſententiam probat. Alteram illam adiuuat hoc, eam a PLINIO, in octo a PELAMEDE et

in *Animadversionibus Eusebianis*, eam a PYTHAGORA demum repertam esse contendit: quod ipsi Pythagoricum nomen est. At enim vero, non inde PYTHAGORAE litera conuocatur, quoniam figura eius a PYTHAGORA sit exclusa: dudum enim ante eum natum cognita fuit: sed inde, quod ipse existimauerit, apte cum ea vitam hominum comparari posse. (i) A DIO-

et SIMONIDE inuentis literis, non recenseri: eo enim innuit, fuisse eam in sedecim, quae ad CADMVM referuntur, literis. BOCHARTVS, *Colon. Phoen. Lib. I, cap 21*, putat, aut ab SIMONIDE, aut EPICHARMO eam literis fuisse adiectam. Conf. SPANH. l.c. VOSSIVS PELAMEDEM eius auctorem facit. *Arist. Lib. I cap. XXV, p. 100*

(i) PYTHAGORAE sententia quae fuerit, plenius ex veteri carmine, quod in Catalectis Virgilianis habetur, intelligere poteris. Sunt autem versus hi:

Litera PYTHAGORAE *discrimine secta bicorni,*
Humanae vitae speciem praeferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem praebet fessis in vertice summo
Molle ostentat iter via lata: sed vltima meta
Praecipitat captos, voluitque per ardua saxa

Quam autem arduum exacta pueritia, quaenam via sit ingredienda, videre: exemplum habetur

DIOMEDE (k) δίχρονον dicitur. *Procedit* Y litera, vt de eius sono exponam, *appressis labris spirituque.* quae CAPELLAE est finitio. Dixi autem iam in superioribus, eius sonum magna ex parte, cum eo, qui V literae tribuitur, conuenire; indeque arcessenda etiam caussa, ob quam, tot probatis in scriptis vicibus, V pro Y, adhibitum fuerit. Exempla statim adferam. Ad genuinum huic literae vsum asserendum, hae regulae spectant. I) Cauendum est, vt ne qua vocabula Graecae esse originis existimemus; quae inde repetenda non sunt, vt *fidus*, *sincerus*, *tiro.* quin immo, ne tum quidem satis tuto, ad Graecam deriuationem prouocatur, quando probabile quidem maxime est, aliquam vocem ex Graecis descendere, sed tamen non satis exploratum

betur in HERCVLE, quod e PRODICO, XENOPHON, *Lib. II Memor.* SOCRAT. *cap. I* refert. Vid. CICERONEM, *Lib. I de Officiis*, *cap. XXXII*, et CEBETIS *Tabulam.* Ipsam autem literam inuentam a PYTHAGORA non esse, ex PERSII etiam *Satyr. III* colligi potest, vbi ita canit:

Et sibi, quae Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstrauit limite callem

Videsis, quae VOSSIVS hos in versus est commentatus, *Arist. Lib. I, cap. XXV, p. 100*

(k) *Lib. II, cap. 421.* Idem etiam nomen A vocali tribuit

ratum habetur: quo *ſilua*, *biems*, *clipeus*, *inclitus et lacrima* a CELLARIO (l) referuntur. V autem litera vicaria τȣ̃ Y, in *inclutus* et *lacruma*, (m) veterum licet more vti. II) Iis in vocibus, quas deductas eſſe ex Graecis conſtat, et in quibus etiam ſubinde, in veterum monumentis et a probatis Literatoribus, litera Y aſſeruata eſt: nihil ſane eſt, quod eam repudies, vt in *Syria*, *Syriacus*, *ſymbolum*, *ſyncophanta*, HYLAS, HYACINTHVS, (n) cet. Atque horum vnice vocum cauſſa eam eſſe literam a veteribus Romanis admiſſam, PRISCIANVS (o) teſtatur. III) Contra ea autem in iis, quae a Graecis deſcendunt quidem, ſed diuturno apud Quirites vſu, penitus in Latinas loquelas abierunt, Y adhibendum non eſt: praecipue ſi in literatis etiam lapidibus ac numis Y excluſum fuerit: (p) eſt

F 4

(l) *Orthogr. p. 3*

(m) Vid. OBERTI GIFANII *Praeſationem* in LVCRETIVM. Interim tamen DAVSQVIVS Y his in vocibus probat

(n) Eſſe omnino haec vocabula, per Y ſcribenda, CASSIODORVS ex PAPIRIANO, *p.* *2292*, demonſtrat

(o) Vid. quae initio huius Paragr. ex SCAVRO attuli. Conf. DIOMED. *Lib. II*, *p.* *421*

(p) Eſt ea OBERTI GIFANII, cuius antea mentionem feci, ſententia. ait enim in *Praeſatione* ad LVCRETIVM: *Puto ea quae in vetuſtis codicibus vno conſenſu* licet

eſt enim veterum exemplum vbique regulae aequiparandum

NONNVNQVAM Y, E literae cedit, vt CENOCEPHALI pro Cynocephali; POLEPTICHA pro polypticha. quas loquelas CLAVDIVS SALMASIVS e tabula Pertingerorum deſcripſit. V quam ſaepiſſime pro ea ſcribitur, vt Romae in valle inter Quirinalem et collem Hortulorum:

D. M
VLPIA· HERACLIA· ET
VLPIVS. OLVMPVS. FILIVS. cet.

In monte Aſulo, in Sabinis:

VL. CARPIVS. L. L HIERAx
VTERENTIA. Ɔ· L. SVMPERVSA
SABINA. PVDENS. V. A. XIIX

Hic SVMPERVSA pro SYMPHERVSA conſpicitur: PVRRHVS pro PYRRHVS; *Fruges* pro Phryges, ENNIVS: *Cumas* pro Cymas, *cuminum* pro cyminum, PAPIRIANVS: ILLVRICVM (q) pro Illyricum, veteri in lapide

CAPVT

licet Graeca, Romano more ſunt exſcripta, itidem a nobis ſcribi debere, vt ſua cuique relinquatur et vindicetur conſuetudo

(q) Probat ſcriptionem hanc SCALIGER. *Lib.*

CAPVT III
DE BIVOCALIBVS

I

EDVARVM ſonantium coalitu diphthongi naſcuntur. Eſt autem e Graecis iſta denominatio petita, (a) atque innuit has duplicem edere ſonum. Hinc emergit diphthongorum finitio haec: vt ſint *ſonantes iunctae, quarum ſonus labiorum conformatione conflatur in vnum.* Poteris etiam *biſonam* diphthongum conuocare, commodius autem, vt VOSSIVS (b) exiſtimat, *bivocalem.* Ante autem quam plura de his commemorem, ratio eſt reddenda, quo iure biuocalium conſiderationem huc retulerim. Nempe ad complexiones reiicienda fuiſſe videtur. Sed, ſi omne id, quod ſyllabam efficit, ad conſequentem ſectionem voluiſſem referre: ipſae etiam vocales literae,

F 5

Lib. I de Cauſſ. L. L. cap. XXVI, p. 62. Pertinet autem vberior eius rei conſideratio, ad ſingularum loquelarum Orthographiam

(a) Notationem vocis diphthongi PRISCIANVS his in verbis ſuppeditat: *Diphthongi dicuntur quod binos phthongos, hoc eſt, voces comprehendunt. Lib. I, p. 262.* Conf. ALCVINVS, *p. 2084*

(b) *Ariſt. Lib. I cap. II, p. 166 et 167*

terae, vtpote quae in se conceptionem efficiunt, eo fuissent transferendae. Praecipue autem cognatio, quae vtramque intercedit materiam; siue, quia capi dextre ac intelligi non possunt, quae de biuocalibus dicentur: nisi recenti obuersentur in memoria, quae iam de sonantibus praecepi literis; eo me adduxit, vt statim sonantium literarum considerationi hanc subiecerim. Interim per etiam mihi placet iste, quem PRISCIANVS sequutus est, ordo. qui de hoc argumento, in capite de literarum ordine exposuit

IN constituendo biuocalium numero, parum sibi Literatores constant. Eius autem rei caussa inde videtur arcessenda; quod iam plures apud Quirites: iam pauciores biuocales fuerint adhibitae. Quodsi enim vetustissima monumenta, nummosque veteres consideres; inuenies, tantum non omnes biuocales ab ipsis vsurpatas esse, quae apud Graecos obtinuerunt. quarum duodecim (c) sunt: iam vero OCTAVIO, cui Augustum deinde nomen fuit nato, parcius sunt adhibitae, et aliae penitus in desuetudinem abierunt. Mihi quidem cum VOSSIO videtur decem esse bivocalium: nempe AE, AI, AV, EI, EV, OE, OI, OV, VI, YI. Sunt autem

(c) Nempe, αι, αυ, ει, ευ, οι, ου, ηυ, υι, ωυ, ᾳ, ῃ, [illegible].

tem quinque in his reliquis vſitatiores; nempe AE, OE, AV, EV, EI. quas etiam vnice in biuocalibus ALCVINVS habet

II

AE BIVOCALIS, ſeiunctis ab ſe inuicem literis eſt exſcribenda. Idque propter hanc cauſſam, quod antiquiſſimis etiam in monumentis, vt DVILII (d) columna, ita inuenitur: item in numis, vt in NVMAE POMPILII legitur: NVMAE POMPILI ANCI MARCI. (e) Minime autem negauerim, in quibuſdam familiarum apud FVLVIVM VRSINVM numis, et lapidibus etiam colligatam illam formam haberi: occurrit enim in PHILIPPI etiam PARV-

(d) In ea legitur: PRAESENTE DICTATORED. Eadem ſcriptio in codice VIRGILII Mediceo obtinet

(e) Apud GOLTZIVM, *Faſt. p. 5, n. 2.* Vid. IVLII CAESARIS numos apud eundem, in Libro qui inſcriptus eſt C. IVLIVS CAESAR, a pagina inde I, vſque n. XIX: FRANCISCVM ANGELONIVM in *L' Hiſtoria auguſta, p. 24 et p. 33,* alioſque. In ipſis autem diplomatibus etiam diuiſim iſta biuocalis ſcripta inuenitur. quod MABILONIVS, locuples teſtis, affirmat in *Lib. de Re Diplom. p. 58.* Verba ſunt haec: *In diphthongo AE ſcribenda illud animaduertendum, vix vnquam alias poſitam reperiri, quam duabus vocalibus A E diuiſis, non in vnum collatis*

PARVTAE *Sicilia*, (f) numus argenteus, in quo legitur: MAG. PIVS IMP. ITER PRÆF· CLAS EOR· Æ· MRIT· EX S· C. Sed hoc in compendiariis ſcriptionibus referendum. Quodſi enim iſtae coniunctarum literarum formae, quae in literatis paſſim lapidibus et numiſmatibus habentur, hodie adhibendae eſſent: multae conſonae etiam literae forent coniungendae. (g) Neque enim vlla ſuppetit cauſſa, cur in his minus ac in biuocalibus id vſurpemus. Sonus vero biuocalis AE, ita eſſe comparatus debebat, vt neque A vnice neque E audiretur, ſed miſta, ex vtriuſque literae ſono, vox. Atque ita etiam elatam hanc biuocalem fuiſſe; partim inde intelligitur, quod TERENTIANVS MAVRVS affirmat, biuocales et *vim vocalium tenere, et ſonos vtroſque iungere:* (h) partim inde, quo-

(f) *Tabula CLXIX.* Vid. ANGELONIVM *p. 24, n. 13*

(g) CELLARIVS quaedam exempla propoſuit *p. 16* et *17*. Alia vide apud SERTORIVM VRSATVM in *Comment. de Notis Romanor*

(h) *Pag. 2392* Applicat etiam TERENTIANVS Graecanicam diphthongorum definitionem ad Latinas biuocales. his in verbis:

- - - - - - *Vnde diphthongos eas*
Graeciae dicunt magiſtri, quod duae iunctae ſimul

Sylla-

quoniam AE cum AI, commutatum saepissime fuit: arguit enim hoc, affinem maxime AE atque AI biuocalium sonum fuisse. (i) Iam vero, quum in AI hodie binae vocales iunctim efferuntur: cogitur inde, in AE etiam biuocali id factum fuisse. At enim vero, hodie spurius sonus, et qui proxime ad E tenue accedit, (k) in genu-

Syllabam sonant in vnam, vique gemina praeditae
Semper effectum duorum temporum custodiunt,
Siue producto efferantur, siue correpto sono

Loco cit.

(i) FABIVS id ipsum testatum facit, *Lib. I, cap. VII.* Vbi, *EI syllabam*, inquit, *cuius secundam nunc E literam ponimus, varie per A et I efferebant*

(k) RVTGERSIVS quidem, in *Variant. Lection. Lib. III, cap. V, pag 206*, probatum iuit, AE biuocalem apud veteres, non aliter quam E fuisse elatam: idque exinde colligit, quod in scriptis veterum, non raro AE pro E, et vice versa E pro AE sit exaratum. quod quidem quum vel sexcenties apud GRVTERVM et REINESIVM in *Syntagmate* legitur, in dubium vocari nequit. Quantumuis autem verum maxime sit, soni inter diuersas literas conuenientiam, ex earundem crebra commutatione intelligi: istud tamen argumentum maxime est lubricum tum, quando ipsa ratio repugnat: iam vero neque nomen diphthongi; neque eius finitio, tribui AE biuocali vllo modo potest; nisi ita efferatur, vt sint quae-

genuini locum ſucceſſit. Dolent hanc iu-ſtae pronunciationis iacturam ingenui omnes; praecipue vero SCALIGER, LIPSIVS ac VOSSIVS. Qui autem medicinam huic dicere malo ſuſtinet, ſe idem ſciat agere, ac ſi cum ventis litigare, aut littus arare velit

PRO AE, AI biuocalis multo frequentiſſime ſcripta eſt, praecipue in his numis atque inſcriptionibus, quae vltra AVGVSTI (l) Caeſaris aeuum aſſurgunt: et in quibuſdam etiam, quae CLAVDIO imperatore ſunt exſcripta. Quam autem ſaepiſſime iſta demutatio in gentili nomine AEMILIVS occurrit, vt, M· AIMILI· M· F· Q· N· LEPIDVS PRAEF· VRB. idem in ſaxo kalendarii, teſte POLITIANO, et aliis Capitolinis lapidibus conſpicitur. Porro CAISAR pro Caeſar, Romae in tabula apud MANILIVM Canonicum legitur. Verba ſunt haec: IMP. VES-

quaedam vtriuſque literae in ipſo ſono conſtituendo partes. ergo RVTGERSII ratio huc non valet. Praeterea iſtaec literarum E et AE in monumentis commutatio, lapicidinum etiam videtur incuriam redolere

(l) Hanc obſeruationem VOSSIO debeo. qui *inſcriptiones*, inquit, *ante* AVGVSTI CICERONIS*que aeuum habent AIMILIVS et DIVAI, atque eandem diphthongum poſt conatus reuocare* CLAVDIVS *Imperator, et am ſcito publico. Ariſt. Lib. I, cap. II, p. 168*

VESPAS. VI CAISARE. TITO IIII COS. In alio monumento quod in via lata eſt repertum, GERMANICO CAISARI, occurrit. Inprimis autem in ſecundo primae declinationis caſu, AI fuit pro AE adhibitum, vt apud ONVFRIVM eſt: AETERAI PROSERPINAI. Ante aedes ALEXANDRI COLVMNAE in area, inuenta inſcriptio haec: (m)

IVLIAI. AVG
AGRIPPINAI
GERMANICI
CAESARIS. F
TI. CLAVDI. CAISAR
AVGVSTI
PATRIS PATRIAI

Alibi, CASSIAI MAXIMAI; COLONIAI BENEVENTANAI; SEXTILIAI CHRESTAI; VLPIAI SCITAI PILVMENAI. cet. VELIVS LONGVS IVLIAI CLAVDIAI: VIRGILIVS *aulai* et *pictai*: *nepai*, id eſt ſcorpii, CICERO: *terrai* idem: *militiai*, *triviai*,

(m) GRVTERVS p. *CCXXXVI*, *n*. 9. qui etiam lacunas quibus hinc inde hiat, reſarcire eſt annixus

viai, IPHIANASSAI, LVCRETIVS. (n) Putat autem PAPIRIANVS, (o) veteres eo consilio ita instituisse, vt secundus casus a tertio, eo melius dignosci posset. PRISCIANVS (p) autem id vnice ad Poetas videtur retulisse. Enimuero, licet ea mutatio potissimum ad genitiuum casum pertineat: errabit tamen ille, qui nunquam eam in tertio casu susceptam fuisse existimauerit. Praeterquam enim, quod QVINCTILIANVS id datiuo etiam accidisse totidem verbis (q) affirmat: idonea etiam eius rei exempla suppetunt. In ipso enim quod supra adduxi monumento, IVLIAI tertius omnino casus est. atque adeo vno hoc in monumento, tum in tertio

(n) Vid. PRISCIANVM p. 728

(o) *AE syllaba*, inquit, *quam nunc in fine sermonis diphthongon scribimus, vt, cogitationes magnae, apud antiquos per AI scribebatur, vt esset distantia genitiuorum a datiuis. nam genitiuo hanc diuisionem dabant, vt non esset dissyllabus similis datiuo, sed trisyllabus inueniretur; magnai, Asiai, aulai, frugiferai.* CASSIODOR. *cap. IIII, p. 2290.* Conf. VELIVM LONGVM *p. 2222*

(p) *Diuisio fit in genitiuo*, inquit, *Poetica, qua frequenter Romanorum Poetae vtuntur, vt* AENEAI. *Lib. VII, p. 728*

(q) *Quidam semper*, ait, *AI syllabam adhibent, quidam singulariter tantum, cum in datiuum, vel genitiuum casum incidissent. Lib. I, cap. VII*

tio tum in ſecundo caſu AI eſt poſitum. Eodem in lapide legere eſt: ANTONIAI AVGVSTAI DRVSI SACERDOTI. DIꟻI. AVGVSTI. cet. (r) Inflexione AE mutatur in A, vt *quarum* abs quae: in I etiam, vt *cecidi* a caedo

III

AI, VTRVM biuocalis ſit dicenda; nec ne, adhuc ſub iudice lis eſt. MARIVS quidem CORRADVS eam in Latinis biuocalibus non habuiſſe videtur: in voce AIAX enim, I ad poſteriorem ſyllabam pertinere exiſtimat. (ſ) Abs qua etiam ſententia PAPIRIANVS non omnino alienus fuiſſe videtur, quum *aulai*, et alios eiuſmodi genitiuos, triſyllabos eſſe dicit. Placet autem mihi magni VOSSII ſententia, qui AI biuocalibus annumerat. Licet enim minime negauerim, AI ſaepiuſcule a Poetis diſſolutam ac diſſectam binas in ſyllabas eſſe, (nempe per Metaplaſmum, teſte SCAVRO,) inde tamen non conſequitur, vt id ſubinde factum fuerit. Eſt autem huic biuocali compoſitus ex A et I, atque

(r) Vide alia exempla apud DAVSQVIVM, *Tom. I, Sect. V, p.* 49

(ſ) Conf. VOSS. *Ariſt. Lib. II, cap. II, p.* 168

atque iuſtus adeo ſonus. quod LIPSIVS quoque affirmat. (t) Eius vſus vero hodie non late patet: non enim ſunt niſi duae voces, vt DAVSQVIO (v) videtur, in quibus ea commode adhiberi poſſit

IN iis, quae a Graecis deductae ſunt vocibus, plerumque in AE conuertitur, vt AENEAS ab Ἀινείας. Aeolenſium etiam more I abiicitur, vt in crapula a κϱαιπάλη

IIII

AV BIVOCALIS, ſero nimis videtur Romanis innotuiſſe, aut etiam proſcripta fuiſſe biuocalium e numero: in quibus enim hodie obtinet loquelis, in iis caſcis temporibus, O ſcriptum fuit. de quo ſtatim dicam. Sonus eius tamen eſt qualis eſſe debebat, miſtus nempe ex vtriuſque ſonantis natiuo ſono

O PRO AV occurrit, in antiquiſſimo ROMVLI numo, quem alio loco adduxi: item in Claudiae gentis numis, C· CLODIVS conſpicitur. *Coda*, *plodo*, *ploſtrum*, *cloſtrum*, pro cauda, plaudo, plauſtrum, clauſtrum, DIOMEDES (x) legit. V pro AV

(t) *Dial. de Pronunc. LL. cap. XI, p. 31*

(v) *Tom. I, Sect. V, p. 50*

(x) Vice etiam verſa AV pro O inuenitur, in *auſculari* pro oſculari, quod FESTVS et PLINIVS habent. Item *ſaurex* pro ſorex; *caudex* pro codex paſſim inuenitur

AV habetur in numo thesauri Schwarzburgici. cui haec inscriptio: IANVM CLVSIT PACE TERRA MARIQ PARTA. Vbi CLVSIT est pro clausit. In Graecae originis vocibus transit in V, vt surus ab σαῦρος. Compositione, in O mutatur, vt *complodo* a plaudo: in E, *obedio* ab audio: in V, *concludo* ex claudo. In deriuatis item in V, vt *rudis* ab raudus

V

EI DIPHTHONGVS male apud Grammaticos audit. Nam ISIDORVS (y) atque PRISCIANVS, (z) eius vsum in ea referunt; quae in desuetudinem iam abierint. QVINCTILIANVS (aa) autem atque VELIVS LONGVS, (bb) superuacaneam prorsus hanc biuocalem esse existimant. Immo NIGIDIVS apud GELLIVM (cc) nullus dubitat, eos grauis inscitiae accusare, qui ea vtantur biuocali: quod id faciant *nulla re subacti*. Sonus eius integer ad nos peruenit

(y) *Lib. I Origin. cap. XV*

(z) *I quoque*, inquit, *apud antiquos post E ponebatur, et EI diphthongum faciebat, quam pro omni I longa scribebant, more antiquo Graecorum. Lib. 1, p. 561.*

(aa) *Lib. I, cap. VII*

(bb) *Pag. 2220 et 2221*

(cc) *Lib. XIX, cap. XIIII*

IN deriuatis a Graecis, transit in I, vt Thesides a Θησείδης

VI

EV BIVOCALIS, potissimum vsurpatur in his, quae Graecis debentur vocibus, vt ORPHEVS, PENTHEVS, ACONTEVS; et latet etiam in his *patriis*, vt DAVSQVIVS loquitur, *casibus*, VLYSSEI et ACHILLEI, ab VLYSSEVS et ACHILLEVS (dd) Mutatur in E, vt ACHILLES pro Ἀχιλλεύς, VLYSSES ab Ὀδυσσεύς (ee)

VII

OE BISONA, eandem est quam AE, tum ratione potestatis tum figurae, fortunam experta. Nempe connexae inter se O et E atque colligatae fuerunt, ad hunc modum Œ. quod, quam parum priscorum scribendi legibus conueniat; intelligi par-

(dd) Si hanc cognoueris biuocalem, non iam diuides E-VANDER; sed EV-ANDER. quod hodie secus fit. Nisi enim biuocalis hac in voce esset, STATIVS, IVVENALIS atque VIRGILIVS, EV in EVANDER, pro longa vsurpare conceptione non potuissent. Ita pariter *parasceue*, hunc in modum in fine versus erit diuidendum: *parasceu-e*; *Euangelium*, *Eu-aggelium*.

(ee) *Lib. I, p. 562*

partim ex iis poteſt, quae ad AE biuocalem dixi: partim ex DVILII iſta, quam ſaepe commemoraui, columna: in ea enim legitur: CLASEIS· POENICAS. Atque eum etiam ſcriptum, aliae inſcriptiones fere omnes, niſi quae recentes nimis ac ſubleſtae fidei ſunt, ſeruant. quod ipſum de numis etiam valet. Sequioris autem aeui manuſcripta, in quibus praeſidium ſolent hi, quos literas in OE colligaſſe iuuat, quaerere, nihil moror. (ff) Adduci enim in contrariam partem, vetuſtiſſimus SALLVSTII, quem REINESIVS verſauit, codex, vna cum aliis, poſſunt. Sonus huius literae hodie ita eſt comparatus, vt ab eo, qui nudo E tenui attribuitur, nulla ex parte differat. quum tamen miſtus eſſe ex O et E literis debebat. Atque ita in dictu dignoſcere non poteris, ſiue AE; ſiue OE; ſiue E fuerit ſcriptum. VOSSIVS autem ea in opinione verſatur, OE mediam, inter Graecum OI et Latinorum OV naturam obtinuiſſe. (gg) Atque

(ff) Nihil itaque agit OCTAVIVS FERRARIVS, qui ERASMI, GRONOVII, aliorum, prae ſe auctoritatem fert, vt oſtendat: *Literas in diphthongis non eſſe in vulgari ſeu curſiua ſcriptione diuellendas*

(gg) Iſtud quidem inde colligit, OI Graiumenum, a Latinis in OE tranſlatum fuiſſe, vt

que PRISCIANVS (hh) testatur, hanc diphthongum litera E, quando E longum insequatur, priuari, vt in Poeta ex ποιη-τὴς

LOCO OE, OI, Coeliae gentis in numo, re positum est. Deductione, mutatur in V, vt *impune* a poena: *Punicus* a Poenus: *murus* ex moenire

VIII

OI DIPHTHONGVS, non videtur vno semper et eodem modo elata fuisse. Idque ipsum VOSSIVS inde probat, quia Athenienses Oraculum Delphicum, (ii) in quo vox

vt poena ex ποινή: hoc autem inde, quia a Latinis saepe V in OE conuersum est, vt Puteolis in monumento: DE. SVO. FACIVNDVM COERAVIT, pro curauit: ac in aenea tabula Romae conspicienda est: OETANTVR pro vtantur. *Arist. Lib. I, cap. IIII p. 173 et 174.* Conf. DAVSQVIVS, *Tom. I, Sect. V, p. 53*

(hh) *Lib I, p. 562 et 563.* Ceterum etiam vsu venit, vt OE sit pro I positum, vt *Beloe* (geminae genus) pro Boli auctor PLINIVS *fascinoe* pro fascini, FESTVS: *pentastichoe*, pro pentastichi, TREBELLIVS POLLIO. Sed hoc in Archaismis habendum

(ii) THVCYDIDES istud refert his in verbis: Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ. *Vna cum bello pestis etiam ad Dores perueniet.* Qui autem λίμος legere, timendum esse Doriensibus, ne fame premerentur, existimabant

vox λοιμὸς occurrit, non eodem omnes modo acceperint. Nempe ob hanc caussam, quod OI in λοιμὸς ita efferebatur, vt O vix aures tangeret. atque adeo intelligi λιμὸς potuit. Idem in voce *proinde*, (kk) quam pro dissyllabo VIRGILIVS vsurpauit, demonstrat. Hinc autem cogitur hoc, ita eam esse elatam, vt praecipue I litera exaudita sit: iam si vocem *Troia* consideres, negare non poteris, quin ita etiam eius sonus efformatus sit, vt O potissimum ad aures peruenerit

IN deductis ex Graecis transit in V, vt puniceum a Φοινίκειον

IX

PLVRIMI ex Grammaticis, negant OV in biuocalibus esse habendum. Poterat autem ipsis obmoueri, in Furiae gentis apud PATINVM numismatibus legi: P FOVRIVS CRASSIPES: item M FOVRIVS. Ea pariter in lapidibus etiam occurrit scriptio, vt in Aletrii tabula perantiqua: ESE. VOVSIT. IOVS. DEICETO, reperitur. Quin, MARIVS etiam VICTORINVS non negat, veteres *V adiunxisse O literae, quoties eiusdem soni longa syllaba scribenda fuerit*. Plura, quae huc facerent, doctorum hominum suffragia

(kk) Vid. VOSS. *Lib. I, cap. IV, p. 174*

gia, et exempla etiam, poteram adferre: ni iam iis quae commemoraui, error THEODORI BEZAE Vezelii, qui negauit eam biuocalem vnquam apud Latinos occurrere, (ll) retundi posset ac dissipari

X

VI BIVOCALEM *Latinos non habere*, SERVIVS quidem putat; sed concedit tamen, eam syllabam a VIRGILIO pro bivocali in voce HARPVIAE, adhibitam esse. Atque cum ista in *huic* etiam et *cui*, quae monosyllaba, teste VOSSIO sunt, vt et in ORITHVIA, ILLITHVIA, aliisque etiam vocibus habeatur: nolui hanc biuocalium de numero demere

XI

VI DIPHTHONGVS in THYIAS, AGYIEEVS et aliis vocibus habetur. Atque DAVSQVIVS (mm) variis argumentis demonstratum iuit, YI diphthongum in his vocabulis obtinere, licet SOSIPATER CHARISIVS I literam non inolescere priori vocali existimet

XII

ANTEQVAM finem huic imponam conside-

(ll) In libro de *Germana Pronunciatione Linguae Graecae.* Conf. RVHE, *Spec. I, p. 65*

(mm) *Tom. I, Sect. V, p. 54*

ſiderationi vincendum hoc, non eſſe plures biuocales, quam quas commemoraui. Atque hic negotium faceſſat CASP. SCHOPPIVS, qui nomine PASCHII GROSIPPI latere voluit, in *Inſtitutionibus Grammaticis:* ille enim IA inſuper IE, II, IO, IV, VA, VE, VO et VV, in biuocalibus refert. Liceat autem mihi poſt VOSSIVM, (nn) quaedam contra dicere. Primo nemini integrum eſſe exiſtimauerim, biuocales ſine veterum auctoritate comminiſci: dein, finitio biuocalis, in eas ſonantes transferri nequit: quum ſonus biuocalis ita comparatus eſſe debet, vt *reliquiae* (ita enim LIPSIVS (oo) loquitur) *ſoni vtriuſque* ſentiantur. Praeter haec, corripiuntur iſtae literae apud Poetas probatiſſimos, quod parum cum natura diphthongorum conuenit. Eodem eſt etiam loco commentum iſtud habendum, quo triphthongos eſſe aſſeritur. cuius idem SCHOPPIVS auctor eſt. Refert autem huc VAI, VAE, VEI, VOI: quum tamen in his, quae commemorat exemplis, V conſonum eſt: nec ingredi etiam vnam ſyllabam, ſonantes literae plures quam duae poſſunt. quod me apud PRISCIANVM etiam legere memini (pp)

 CAP.

(nn) In *Ariſt. Lib. I, cap. IV, p. 169*

(oo) *Dial. de Pron. L. L. cap. XI. p. 30*

(pp) Eam quoque SCHOPPII de triphthon-

CAPVT IIII
DE LITERIS SEMIVOCALIBVS ATQVE VDIS

I.

FVERE nonnulli, quos VELIVS LONGVS (a) notat, qui exiſtimarent, nullam eſſe literam *conſonantem* dicendam: quod *nulla magis minuſue neceſſaria* in ſcriptu *ſit*, et *quia omnes literae uoces explanent:* alii in contrarium errorem illapſi, omnes eſſe literas conſonas, *quoniam in* CATONE *ſcribendo, non minus ſonet A quam C litera cum A*, putarunt. Medio itaque tramite inceſſiſſe, atque decem et quinque conſonantium literarum conſtituiſſe, iuuabit. Sunt vero iſtae literae, quae vocales non ſunt, propter hanc cauſſam conſonantes dictae, *quod interdum proiectae, interdum ſubiectae vocalibus conſonent.* (b) quod definiti-

phthongis ſententiam, VOSSIVS fuſe confutat. l. c. *p. 172.* Vbi etiam ANNAEI CORNVTI verba. vrget. qui negat ſyllabam tribus vocalibus conſtare poſſe

(a) *Pag. 2213*

(b) Habentur iſta verba apud PRISCIANVM, *Lib. II*, *p. 416.* Parum ab hac deſcriptione, CLEDONII, quae occurrit *p. 1881*, differt: item ALCVINI, qui inde eas ita vocatas eſſe ait, *quia per ſe non ſonant, ſed vocalibus*

hitionis etiam vice esse potest. Solent autem Grammatici consonas, in tres classes describere, ita vt alia sit *semiuocalium*; *mutarum* aut insonarum alia, et alia denique *duplicium*. Et semiuocales quidem literae tantum superant mutas; quantum ipsae a vocalibus superantur. Itaque literae omnes, quarum sonus clarior aliquanto est, et propius ad sonantium literarum sonum accedit, ad semiuocalium cohortem referendae: contra ea autem literae, quibus obtusior est atque hebetior sonus, ad mutas reiiciendae erunt. Nescio autem, an possit commodius et plenius, quid semiuocales mutasue literas intersit, dici: quam id ab ALCVINO factum est: *Semiuocales* enim *a vocalibus incipere*, *et in se*, ait, *desinere* ac *maiori* etiam, quam mutae, *Euphonia sonare:* (c) e contraria autem parte, *mutas*, *ab se incipere*, et *in vocales desinere*, *deformiusque sonare.* Poterat etiam hoc semiuocalium criterium addi: quod continuari commode earum sonus, et deduci per plures eiusdem generis literas potest. (d)

bus consonant. p. 2082 et 2083. Vide etiam VELIVM LONGVM *p. 2213*, et MARIVM VICTORINVM, *p. 2452*

(c) Addit etiam hanc obseruationem: *Saepius dictiones semiuocalibus, quam mutis, propter Euphoniam, id est, Sonoritatem, finiri. p. 2083*

(d) Duplices literae, compendia sunt scriptionis, in quibus duarum literarum formae et soni in vnam sunt literam redacti. Redeo ad semiuocales, in quibus F, L, M, N, R atque S numerare placet. quod, quo iure fecerim, in singulis semiuocalibus dicam. Sunt etiam quaedam ex his literis, quae *vdae* aut *liquidae* conuocantur; quod ancipitem, post mutam collocatae syllabam reddunt praecedentem, si breuis ex se fuerint. (e) Quae res, quum praecipue ad Prosodiam spectat, non videtur peculiari in capite a me excutienda esse: sed dicam de his in semiuocalium consideratione. Sunt autem L, M, N, R, S et Q.

II

F LITERAM, ad semiuocales pertinere, inde probatur, quod vis ei subiecta, semiuocalium finitioni, omni ex parte respondet. Nam cum incipit a vocali et in se finitur: tum etiam dilutiori sono effertur, et *spiritu instrepit*. (f) in quo MARIVS VICTORINVS, omnem semisonarum literarum

(d) Nihil impedit, quo minus L, vt hac vtar, ter quaterque scriptum, etiam tum quando sonans litera praecesserit, efferas: sed qui enuntiare poteris: AB BB

(e) CLEDONIO ita de ea re videtur: *Liquidas ideo dictas, quia liquescunt in metro aliquoties et pereunt, quoties cum muta iunctae fuerint. p. 1882*

(f) *Lib. I, p. 2455*

rarum naturam reponit. Porro CAPELLA, DIOMEDES, (g) MARIVS VICTORINVS, (h) et SCALIGER in semiuocalibus eam habuerunt. PRISCIANVS (i) autem atque VOSSIVS (k) ad mutas eam literas retulere. qui, vt ita existimarent, his potissimum ducti sunt rationibus. Primo, quod ϕ Graecorum, ad cuius vim proxime accedit, muta est: dein, quia iuncta liquidae, communem syllabam efficit; et tandem quoniam terminalis non est: Quod autem ad eam quam secundo loco commemoraui obiectationem attinet; velim considerari hoc: potestatem literarum, non tam ex metro, quam ex Sonoritate earum diiudicandam esse. (l) Reliqua, quae obmouen-

(g) *F consonans*, inquit, *semiuocalis praepositiua, quae sola ex semiuocalibus praeponitur liquidis, quemadmodum muta quaelibet, et communem syllabam facit. Lib. II, p. 419*

(h) *Lib. I, p. 2455*

(i) *Lib. I, p. 542*

(k) *Arist. Lib. I, cap. XV, p. 67*

(l) Ipse etiam PRISCIANVS, committere non potuit, quin fateretur, nomen semiuocalis huic literae iure tribui: *Nihil aliud habet haec*, inquit, *litera semiuocalis, nisi nominis prolationem, quod a vocali incipit. Lib. I, p. 540:* iam, cui rei nomen iure competit: quid ni eidem etiam finitio tribuatur. Non itaque est existimandum, nudum huic literae semisonantis nomen, vim non item, quod

mouentur argumenta, vno hoc submoto, sua mole ruunt. (m) In figura huius literae, quum nihil considerandum est, quam vt inuersum, quando denotet *filiam* fuerit: (n) statim ad vim ei subiectam transeam. *Proferimus* autem hanc literam, *imum labium supremis imprimentes labiis, reflexa ad palati fastigium lingua leui spiramine.* (o) Differt itaque eius sonus, ab eo qui Φ Graecorum proprius est. Nempe non aeque valida est aspiratio in F; quam in Φ. Id inde intelligitur quod CICERO, testem Graecum risui exponit, quoniam primam Fundanii nominis literam, dicere non potuit; et hirtum nimis atque asperum sonum, et qui Romanis auribus

quod CHARISIVS vult, competere: sed ei sonum etiam talem esse, qui ad sonantium sonum dimidia ex parte assurgat. Tenendum autem ei id peculiare esse, vt ante L etiam, atque R, mutarum more adhibeatur, quod tamen ad sonum eius non pertinet.

(m) Quo possit modo, ad alias etiam secus sentientium, exceptiones responderi: SCALIGER, *Lib. I, de Causs. L. L. cap. XVI, p. 43*, fuse atque partite docet

(n) Debeo eam obseruationem C FRIDERICO RVHE, *Spec. I, p. 11.* Iam si inuersa fuerit, refert Aeolicum, a CLAVDIO exclusum, digamma

(o) Vide ista verba apud MARIVM VICTORINVM, *Lib. I, p. 2455*

ribus esset inuisus, eidem attribuit. (p) Est etiam haec litera, aliqua ex parte ab V consona, ratione potestatis diuersa: quantumuis et F, et Ⅎ (digamma) lineas communis originis τῦ Γ referant. *Scribitur* autem F, vt iam de iusto eius vsu dicam, *quum latina dictio scribitur, vt felix. Nam si peregrina fuerit, P et H scribimus, vt* PHOEBVS *et* PHAETON. (q) Multa autem apud veteres exempla exstant, in quibus F pro PH exscriptum fuerit, vt in numis CHRISTINAE AVGVSTAE, et vno NVMERIANI, TRIVMFVS QVAD: (r) CONSTANTIS numus apud SAVOTVM, OB VICTORIAM TRIVMFALEM: TRAIANI apud OCCANEM, EVFRATES: PHILIPPI AVGVSTI,

(p) Sunt, qui ex PRISCIANI verbis his: *Hoc tamen scire debemus, quod non tam fixis labris est pronuncianda F, quomodo PH. (Lib. I, p. 543)* exsculpere velint, eum existimasse valentiorem esse sonum in F quam PH. quod quo sibi modo constet, ego quidem non video. SCALIGER vero ea omnino in opinione fuit, ait enim: *Puto autem fuisse F, validissimum adstricto superioribus dentibus labio inferiore. Mox sequi Φ, dilatiore vi.* Interim tamen ferri poterat, si sumas illam PRISCIANI regulam: *spiritum literae potestatem non mutare.* l. c

(q) Praecipit ista DIOMEDES, *Lib. II, p. 418*

(r) Vid SPANHEMIVM, *Dissert. II, p. 123*

GVSTI, II MM CC FFILIPPVS AVGG: (ſ) HELENAE, coniugis IVLIANI Caeſaris in numo legitur, ISIS FARIA. In monumentis idem obſeruatur, vt in marmore extra Brixiam legitur: NATIO FRYX. PVGNAR. V: ita in aliis apud GRVTERVM inſcriptionibus, FILVMENVS. SVBSIFANIAS: item AMFION, PAMFIL. TRIVMFIS. Neque id in Graecis etiam nunquam obſeruatur, vt Latinum F locum τȣ̃ Φ occupet. Verbi cauſſa, in numis Faliſcorum. in quibus non raro FAΛΕΙΩΝ legitur. (t) Sed poteſt etiam Aeolicum hac in voce digamma intelligi. Ita quoque ſonus huius literae, ob aſpirationem

(ſ) SPANHEMIVS hunc numum, qui Seguino in muſeo habetur, ita exponit: *Duo imperatores Caeſares* PHILIPPVS *Auguſti, Pater et Filius.* l. c. p. 123

(t) Atque eo de argumento SPANHEMIVS hunc in modum exponit: *Quomodo inſuper F Latinorum, loco Φ Graecorum, vt quidem videtur, crebro obſerues in numis Faliſcorum Magnae Graeciae et quidem Latio vicinae, qui FAΛΕΙΩΝ paſſim inſcribuntur; vt F pro Φ in eo tractu vel inde liqueret vſurpatum. Niſi potius digammatis Aeolici veſtigia in eadem vocis huius ſcriptura eruamus, quam conſtanter adeo praeferunt omnes numi huius vrbis antiqui, quorum adhuc luculenta copia ſuppetit. Tom. I. Diſſert. II, p. 107*

tionem quam secum habet coniunctam, cum H, aspirationis nota, aliqua ex parte conuenit. Atque id variae loquuntur apud Latinos loquelae, in quibus quondam H fuit adhibitum: et in cuius locum deinceps F est suffectum, vt Formiae oppidum olim Hormia fuit dictum. (v) Contra, positum etiam aliquando pro H, vt *fircus* pro hircus (w)

III

L LITERAM, in semiuocalibus pariter atque liquidis (x) etiam habendam esse, nemo

(v) Auctor eius rei PLINIVS. ait enim: *Oppidum Formiae, Hormiae olim dictum.* Conf. SERVIVM ad VIRGIL. *Lib. VII, Aeneid. v. 695.* item SPANH. *Tom. I, Dissert. II, p. 108*

(w) SCAVRIVS, *F et H*, inquit, *vtraque non vt flatus est. quare quem antiqui fircum nos hircum: fariolum nos hariolum dicimus. p. 2252*

(x) Potest L, *cum in medio sermone breuem sequitur vocalem, praecedente qualibet consonante, hanc licentia Poetica facere longam* BEDA, *p. 2352.* Atque haec litera apud Graecos etiam, vim semiuocalis pariter atque liquidae obtinuit. Hinc ab HESYCHIO, στοιχεῖον ὑγρὸν et a DIONYSIO HALICARNASSENSI ἡμίφωνον, conuocatur

H

nemo est qui neget. In eius autem figura considerandum hoc, eam, quam in Graecis habet formam, aliquando translatam in Latinum esse sermonem. quod nescio an sit a quopiam obseruatum. Comprobatur *id* vetustissima inscriptione, quae Mediolani ad coenobium D. LVCAE reperta est. quam ita habe: FATIS SIIVIRI. λIPARA VALIIRIANA. V. S. L. M. et eodem in loco alia ita habet:

D. M
I. M. VA
λHRI ANV
S. C. SIIXTIλI
O. TIIRIIOλO. P
ATRII. IIT. SIIX
TIλIVS. VIIR
VS. P. BIINII
MIIRIINTI

Aliam mihi etiam huius literae formam, parum et ipsam Literatoribus cognitam, in aliquo, quod Albutiati apud Insubres habetur monumento, deprehendisse videor. Ea K literam, si lineam quae dextram versus assurgit demseris, refert, hunc in modum: ʟ. ipsa autem inscriptio haec est:

I. O.

I. O. M
MONIVNA
IESVLCANI
IOVANIVS
V. S. h. h. M

Atque V. S. h. h. M. literas, hunc in modum interpretauerim: *Votum soluit libens lubensque merito.* Nec videtur etiam vllo alio modo erui sensus his ex literis posse, quam si figuram h, pro L esse positam dicas. (y) In numismatibus aliquando inuersum apparet, ita vt Graecorum γάμμα videatur referre. (z) Porro, formam etiam Literae T inuersae, interdum induit, vt in monumento, Patauii, in aedibus Contarinis inuento. Est autem hoc:

(y) Potuit haec figura eum in modum effingi, vt transuersa linea, quae ita tenere basin debebat, vt rectus inde angulus nasceretur, aliquanto eleuata versus dextram fuerit. Ipsam autem Inscriptionem GRVTER. *p. XVI, n. 6,* exhibet

(z) Refert eiusmodi numum ex thesauro Schwarzburgico, CHRIST. FRID. RVHE. *Tab. II, n. 30.* cuius haec est epigraphe: RESTITVTOR EXERCITI. In medio autem forma Γ conspicitur

- - X ERBONIVS. SEX· SEX. ⅂. FRON -
- - AEGONTIVS. PRIMI. ET. GENI⅂
⅂· LVCI - -
- - X. VOTTICIVS. ARGENTI⅂· ⅂·
AMO - -
- - TITIVS. T. ⅂. PHI⅂EMO
- - ZX. ERBONIVS. SEX. ⅂. PHI-
⅂OGEN - -
- - GAVIVS. PHI⅂EMONIS. ⅂ HI-
LARIO
- - AEGONTIVS. ⅂. ⅂. STEPHANVS
- - MV⅂VIVS. DITIONIS. ⅂. SE-
NECIO
- - GAVIVS. ⅂. ⅂. GRATVS. cet.

Tandem transſuerſa etiam linea interdum deuexa eſt, vt Romae in vinea Cardinalis Carpenſis: L CAESONIVS C. FI‹. QVIRINA. ‹VCI‹‹VS MACER cet. Haec autem litera *validum neſcio quid per partem palati, qua primordium dentibus ſuperis eſt, lingua trudente, diducto ore perſonat.* (aa) Atque iſte huius literae ſonus, plenior interdum eſt, vt in *ſol:* interdum exili-

(aa) Vid. MARIVS VICTORINVS, *Lib. I. p. 2455*

exilior, vt in MARCELLVS: interdum medium tenet vt in *clarus*. (bb) Ceterum, ea eſt L literae indoles, vt aſpirari poſſit, vt HLVDOVICVS in manuſcriptis, atque HLVDIN in capitularibus CAROLI Magni (cc)

IN vetuſtis ſcriptionibus, vna L pro duplici, ſaepius inuenitur. Atque obſeruatum eſt a doctis hominibus, veteres, vt in omni conſonantium literarum geminatione, ita praecipue, in vdarum literarum coniunctione, ſe faciles non praebuiſſe. adeo, vt id non ante CICERONIS aetatem, aut paullo infra fuerint auſi: licet mutae geminatae interdum in antiquioribus monumentis occurrant. Certe, de L litera conſtat, ſero admodum eam fuiſſe in media voce geminatam. cuius rei documento ſunt denarii (dd) non pauci; in quibus, SVLA pro SVLLA legitur. Item apud GELLIVM *miliaris* pro milliaris eſt: *colega* pro collega: *ilius* pro illius. Conſequente autem aetate, nimis frequens ea

(bb) Deſumſi iſta e PRISCIANO. *Lib. I, p.* 555

(cc) Eandem etiam ſcriptionem huius vocis, Poetam coenobii Emerani Ratiſbonenſis, adhibuiſſe VOSSIVS, VITVM AMERBACHIVM in partes vocans, demonſtrat. *Lib. II, cap. XI, p.* 193

(dd) Conf. SPANHEMIVM, *Tom. I, Diſſ. II, p.* 122

geminatio fuit vſurpata, vt *vellitis* etiam pro velitis, atque *ollim* pro olim ſcriptum ſit. Vt nę autem quis in ea geminanda peccet, tenendum hoc: D in AD, ſi vocibus, quae L primam habent literam, iungatur, in L ſolere conuerti. De qua re alio quoque in loco verba faciam.

Vniuerſe etiam D et L *communionem*, teſte MARIO VICTORINO, *apud antiquos* habuerunt; ita vt *dinguam et linguam*, *et dacrimis et lacrimis*, *et Capitodium et Capitolium*, dicerent. Idem in *medius fidius*, id eſt: ita me HERCVLES IOVIS, (Graeci IOVEM Δία vocant,) filius amet, deprehenditur. N aliquando eſt pro L ſcriptum, vt *ningua* pro lingua, ISIDORVS: *nuſcitioſus* pro luſcitioſus, FESTVS. R pro L, vt *Latiaris* IVPITER qro Latialis: *ſufframen* pro ſufflamen, FESTVS. In deductione autem temporum, L immune a mutatione eſt. In deductis a Graecis vertitur in T, vt *totus* ab ὅλος

IIII

M, LITERA mugiens, ita enim QVINCTILIANVS eam vocat, in liquidis pariter eſt atque ſemiuocalibus. quod nemo negat. Liqueſcit autem vnice in Graecis dictionibus, quales ſunt: POLYMNIA

(ee)

(ee) et TECMESSA. Interdum λλ, pro iusta M. literae forma, priscis in monumentis vsurpatur, vt in marmore Tibure Ann. cIↃIↃXCIX reperto, legitur: DIS. λλAN λEλ. ZOIλVS. HIC. SITVS. EST VIXIT. λN. LII. Item in monumento extra Tarraconem, in vinea P. GVIMARNANI, D. M. C. IVLIO. λEλλILIλNO, AλλICO, OPTIλλO. Sunt etiam quaedam, antiquae legis apud MABILLONIVM fragmenta, in quibus, ΛΛ, quasi duo λάμβδα ex maiusculis Graecorum literis depromta; vel si mauis, V duo inuersa, inueniuntur. Alia eius, in Mauritianis numis, forma habetur, quae ad ἔψιλον Graecum, si id deuexum fuerit, propius accedit. est autem haec: ɱ. Mirum autem videri poterat, numerorum etiam notas fuisse, pro figura literae M adhibitas. quod Literatores praeteriit. Exstat autem luculentum huius rei exemplum Phraumhemii in monumento, apud PHILIPPVM WOLFIVM a Phraumheim. quod ita habe:

FORTVNAE
LL
PRIIIIII
LLA
VSLLM

 Vbi

(ee) Vid. VOSSIVS, *Lib. II, cap. XVI, p. 223*

Vbi PRIIIIILLA, PRIMILLA est legendum. Quod si neges, numerorum notas hic haberi, III literas iugatas, in locum M literae esse suffectas, non sine aliqua vero similitudine dixeris. Inuersum etiam aliquando M, feminarum in praenominibus fuit. quod ex ea, quae Emeritae in domo IOH. ASTIGIENSIS habetur inscriptione, potest, intelligi. ea enim ita habet: M. HELVIVS. W. L. MARSVA. ANN. LX. MALLIA W. LIB. GALLA. VXOR. ANN. XXXXI. H. S. S. S. V. T. L. Dicam nunc de sono M literae. Imprimitur ea labris, et aliquem in specu oris mugitum edit: (ff) crassiorem illum ab initio vocis: minimum in medio: in fine autem mediocrem (gg)

Inter-

(ff) Proxime ad hanc quam suppeditaui, soni Literae M definitionem, TERENTIANI MAVRI accedit. quae haec est:

Ad tertia clauso quasi mugit intus ore

Pag. 2389

(gg) Vid. PRISCIANVS, *Lib. I. p. 555*. Miras autem soni literae M mutationes, ex LVCIO CAECILIO VINDICE, CASSIODORVS refert. *M literam*, inquit, *ad vocales primo loco in verbis positas si accesserit, non enunciabimus: cum autem ad consonantes, aut digammon Aeolicum, pro quo nos V loco consonantis posita vtimur, tunc pro M litera N literae sonum decentius efferimus. p. 2318*

Interdum M litera de abundanti additur, vt Rauennae, in templo diuae virginis legitur: IN. AEDE. NEPTVMNI QVAM. IPSE. EXTRVCXIT. DIE. NEPTVMNALIORVM. Contra ea autem, in marmorea, quae trans Tiberim in aede S. FRANCISCI conſpicitur ara, omiſſa eſt. Verba ita ſe habent: CVIVS. CORPVS. CAVSA. PONDERIS. ANTE. ARA. POSITV. EST. N eſt pro M in DECII numo collocatum. Item Brixiae, in vico Hoſpitalelti. PROFVSEI, ita habet inſcriptio, TAN. PARENT. (hh) TAN. ROS. QVOTANNIS CELEBRENT. Vbi TAN eſt pro tam. S pro M, vt *demus* pro demum, LIVIVS Poeta: *ſeorſus* pro ſeorſum; AFRANIVS. In repetendis a Graecis, tranſit in B, vt balare a *μῆλα*; et G, vt ſagitta ab *σάγματα*. Compoſitis in loquelis, quando C, vel D, vel F, vel Q, vel T literae antecedunt; M in N mutatur, vt in *anceps* (ii) pro amceps; *tandem* pro tamdem; *anfra-*

(hh) APIANVS hic vocem ANVOS interpoſuit

(ii) Miror qui factum fuerit, vt CELLARIVS C in iis literis, quibus praecedentibus M in N mutatur, non retulerit: quum tamen PRISCIANVS id omnino fecerit. *Lib. I, p. 555.* vbi etiam vocem *nuncubi* in exemplis adhibet. Quod autem ſpecia-

anfractus pro amfractus; *nunquam* pro numquam; *identidem* pro idemtidem. (kk) Demutationis huius caussam, vna in ἐυφωνίᾳ inuenies. quae si minus iusta tibi visa fuerit, consideres. quantas ea vocalium apud Hebraeos mutationes efficiat. Sunt autem quaedam omnino voces compositae, in quibus scribendis, nulla eius quam antea proposui obseruationis, ratio habetur, vt in *quamdiu.* Atque isto in vocabulo, M ob hanc caussam asseruatur; quod ea litera, mollis sonus atque commodus efficitur. in aliis autem loquelis id secus est. Eadem etiam scriptio in *numquis* obtinet.

ciatim ad vocem *anceps* attinet, diligenter est considerandum, eam vocem a praepositura loquelari *am* esse compositam. Habetur ea etiam in *amburo*, *amplector*, aliis. Est autem ea ex *ambi* contracta. quae apparet in *ambitus*, *ambedo*, rel. atque haec ex Graeca praepositura ἀμφὶ, per ἀντίστοιχον effecta est. THEOCRITVS autem ἄμ etiam in Graecis seorsum adhibuit. Vid. SCALIGER, *Lib. I de LL. p.* 155, et BECMANVS in *Manuduct. p.* 215

(kk) Visum non fuit aliquod addere exemplum, quo sibi constet, M etiam ante Aeolicum digamma conuersum esse: quantumuis Romae, extra portam flaminiam, in vinea IOH. PEGGHII legitur: AT QVANVIS. TE. TERRA TEGAT. MISERABILIS. IMA: ea enim scriptio, his, qui ab aurium stant iudicio, se non probabit

tinet. quam tamen PLINIVS per N ſcribi, teſte PRISCIANO, maluit. Diſceptatum etiam inter Grammaticos fuit: vtrum vniuerſe necti inter ſe M et T poſſint; nec ne. Negat id fieri poſſe PRISCIANVS (ll) atque pernegat. Sed obſtat, vocem DVMTAXAT, vna cum aliis eiuſmodi loquelis, per M exaratam, apud GRVTERVM et REINESIVM haberi. Deueniendum autem ad id, quod maximi eſt, in hac quaeſtione, momenti: numnam ſit de neceſſitate, vt P litera, M et N literas, in praeteritis et ſupinis iunctas, intercipiat. Atque hoc ſane PAPIRIANVS vult; (mm) licet EMTVM paſſim in literatis lapidibus, ſine P exſcriptum conſpiciatur. Ego quidem putarem, eſſe potiſſimum ad vſum hac in cauſſa reſpiciendum, Itaque in *emtum* et *temtum* P abeſſe commode poterit: et *temptare* autem pro tentare Archaiſmum redolet. Contra ea autem, in *ſumptum*, *promptum*, *comptum*, *redemptum*, ſcribi ſine vitio, et commodius etiam, poterit. Idem

(ll) *Lib. X, p. 897*

(mm) *Sumpſi quaeritur*, inquit, *an poſſit ſine P litera vt hiemps ſonare; ſed quia et in alia declinatione P reſpondet, quum dicimus ſumptus, ſumpturus, neceſſario per P ſcribi debet.* apud CASSIODOR. *p. 2292.* PRISCIANVS eandem cum PAPIRIANO tibiam inflat, *Lib. X. p. 897.* Prouocat autem ad ἐυφωνίαν

Idem fere iis in vocibus, in quibus S, M literam consequitur, venit obseruandum: nam in *temsi* atque *demsi*, P litera frequentius eiicitur: in *sumpsi* autem, *prompsi* et *compsi*, a multis adhibetur. Pertinet huc lex, quam veteres Literatores tulere; vt verba quae in supino MPT habent; in praeterito etiam per MPS scribantur; (nn) et vice versa. Porro M, a B etiam litera, vocali insequente intercipitur, vt in comburo: non autem in *ambitus*, *ambustus*: est enim in his praepositura *ambe*. de qua alio loco verba feci. Praecipue autem M litera demutatur in his loquelis, quae sunt a praepositione *cum* (non *con*) (oo) compositae: sonans

(nn) PRISCIANVS hoc etiam in criteriis vocum ita scribendarum habet, vt in MO, longa vocali praecedente, desinant. *Lib. X, p. 897*

(oo) Ne magni quidem CELLARII auctoritate adduci eo potui, vt *con* esse praepositurain loquelarem statuerim. SCALIGER namque arma, quibus contra tantum virum pugnem, subministrat. *fuit cum*, inquit, *praepositio non con*, *alia ab illa*, *quae in compositione tantum inueniretur: Nam etiam in aliquibus integra* mansit, vt *cumprimis*. Deinde addit: *Si esset con*, *quaenam illa sit*, *quam audimus in comes*, *comitium*, *et clarius etiam in mecum*, *tecum. Lib. I, de Caussis L. L. cap. XXXIIII, p. 76.* Conf. BECMANVM *p. 909*. Interim tamen *con* in ara marmorea. Romae

ſonans enim litera, ſi eandem inſequatur, loco ſolet moueri, vt *coequare*, *coeo*, *coire*, *coortus*: ante L et ipſa huius literae naturam ſubit, vt *collibertus*, *colligo*: licet in monumentis CONLAPSVS etiam CONLATO et CONLOCARE occurrant. qua etiam ſcriptura hodie multos delectari video. Ante R quoque in eandem literam tranſit, vt *corrigo*, *corrumpo*. *Hanc autem mutationem ſciendum eſt*, *quadam naturali*, vt ita cum PRISCIANO loquar, *fieri vocis ratione*, *propter celeriorem motum linguae labrorumque*, *ad vicinos facilius tranſeuntium ſonos*. Tandem M in *cognatus* et *cognoſco*, per conciſionem, (ita enim PRISCIANVS effert,) *adempta* poteſt *videri*: G enim ad ipſam vocem retuliſſe praeſtat

V

N SEMISONANS litera non niſi in Graecis liqueſcit. (pp) Forma eius aliquando inuerſa in numiſmatibus inuenitur: vnde minu-

Romae in domo DELPHINII legitur, his in verbis: AVRELIA. CAENIS. CONIVX. CON. QVEM. VIXIT. ANNIS ƧƧƧ, id eſt triginta

(pp) In Latinis vocabulis eam non liqueſcere, BEDA, *p. 2355*, *et 2356*, oſtendit. In Graecis autem vda deprehenditur in PROGNE et *cygnus*. Vid. VOSSIVM, *Ariſtarch. Lib. I, cap. XIX, p. 82*

minuſcula ipſius figura originem videtur traxiſſe. (qq) Sonus, qui ei eſt literae, gemino naris et oris ſpiritu, lingua palatum attingente, effertur. (rr) Differt itaque a litera M gracilitate; et quod aperto ore dicitur; M clauſo. Eſt autem N literae ſonus, pro eo quo N collocatur loco, diuerſus: plenior enim eſt voce incipiente; remiſſior quando medium vocis tenet: tremulus ſi vocis in fine collocatur. Atque ea ipſi etiam vis ineſt, vt additae vocalis ſonum intus quaſi cohibeat: Vnde PLATO etiam, maxime eam accommodatam eſſe, ad ea quae intus geruntur exprimenda, affirmat. Mutilus autem valde et depreſſus literae huius ſonus videtur eſſe tum, quando vel C; vel G, ſiue exiles iſtae fuerint; ſiue aſpiratae, inſequuntur. (ſſ) Inde factum,

(qq) Vid. RVHE *Spec. II, p. 21*

(rr) Vid. MARIVM VICTORINVM, *Lib. I, p. 2455*, et TERENTIANVM, *p. 2388*

(ſſ) Nempe iſte ſonus intermediae cuiuſdam inter G et N literae eſt; quam ἀνώνυμον VOSSIVS *(Ariſt. Lib. I, cap. XX, p. 84)* vocat, et quae in deſideratis habetur. MARIVS VICTORINVS de eo argumento his in verbis agit: *Nunc adiicio, ſicut inter M et N literam vox media. tam Graecis deſit, quam nobis; ita inter N quoque et G deeſſe. Lib. I, p. 1465.* Atque A. GELLIVS ex NIGIDIO FIGVLO refert

ctum, vt G aliquando eius fuerit vice positum, vt AGCHISES pro ANCHISES; *aggulus* pro angulus (tt)

ABVNDAT N in Schwarzburgici thesauri numo, cui est epigraphe haec: QVADRA-

refert haec quae consequuntur: *Inter literam N et G, est alia vis, vt in nomine anguis, et angaria, et ancorae, et increpat, et incurrit, et ingenuus. In omnibus enim his non verum N, sed adulterinum ponitur. Nam N non esse lingua indicio est. Nam si ea litera esset, lingua palatum tangeret. Noct. Attic. Lib. XIX, cap. XIV, p.* 402

(tt) Potest ea res e luculentissimo TERENTII VARRONIS, quem PRISCIANVS seruauit, loco, demonstrari. Quum enim quaedam huius mutationis exempla proposuisset, ita pergit: *Quod ostendit* VARRO *I de Origine Linguae Latinae his verbis: Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt. In eiusmodi Graeci et* ACTIVS *noster binam G scribunt; alii N et G, quod in hoc veritatem facile videre non est. Lib. I, p.* 556. Esse autem eum scribendi morem e Graecis petitum, MARIVS quoque VICTORINVS ostendit, his verbis: *Graeci scribunt* ἄγγελος, ἄγγος, ὄγκος, *et similia, si syllabam AN sequatur syllaba quae initium habet AG et AC, conuertunt literam N in G, et pro N G scribunt, vt* ἄγγελος, ἄχιστα, ἄγκυρα: *cum inter N. G medium sonet vocis productae. Lib. I, p.* 2463. Interim antiquis etiam in codicibus habetur: ΑΝΓΕΛΟΣ. ΑΝΚΥΡΑ, ΑΝΚΑΛΗ. Conf. VOSS. *Lib. I cap. XX, p.* 85

DRAGENS. REMISSAE. S. C: Romae in S. SILVESTRI: ANNO TRIGENSIMO CONSECRATIONIS: in GALBAE numo, QVADRACENSVMA: in oppido Fabria in Faliſcis: FORMONSVS. FRVGI. DOCTVS. PIVS. quae etiam ſcriptio in Vaticano VIRGILII codice, et Florentinis in pandectis deprehenditur, vt *quotiens*, *deciens*, *totiens*. Deeſt autem N in vetuſto, quod Puteolis habetur monumento, in COIVX. GRAVISS: Moguntii, in horto D. LAVRENTII TRVCHSES, A BAEBIVS. C. F. SCAP. CLEMES pro clemens. D etiam pro N poſitum, vt *Laribus Gruddulibus* pro Grundulibus, CASSIVS L pro N, vt *vallus* pro vannus, VARRO: MESSALA pro MESSANA. (vv) M pro N, vt in antiquo AMYNTAE regis, quem SPANHEMIVS exhibet numo, AMYMTA pro AMYNTA legitur. R pro N, vt *ſtrigores* pro ſtrigones, FESTVS. Inflexione in S, vt *ſciſſus* ab ſcindo, *fiſſus* a findo.

(vv) SENECA, *Lib. de Breu. vitae, cap. XIII.* VALERIVS inquit CERVINVS *primus Meſſanam vicit, et primus ex familia* VALERIORVM, *vrbis captae in ſe tranſlato nomine* MESSANA *appellatus eſt, paullatimque vulgo permutante literas,* MESSALA *dictus eſt*

do. (xx) Deductione a Graecis vertitur in L, vt lympha a νύμφα: Praecipue N litera in compositis a praepositura *in*, variis est demutationibus exposita: consequente enim B in M conuertitur, vt *imbibo*, *imberbis*, *imbuo*: L sequenti cedit, (yy) vt *illudo*, *illustris*: item M literae, (zz) vt *immaturus*, *immunis*: ante P (a) quoque in *cogna-*

(xx) PRISCIANVS, in V etiam N literam verti putat, quia *siui* ab sino sit. SCALIGER autem *(Lib. I, p. 24)* euicit olim *siniui* fuisse pro siui

(yy) In veterum monumentis, INLVSTRIS, INLATVS et INLICIO aliquoties occurrit. *Malo* autem *illustris*, vt iam MANVTII verbis vtar, *quam inlustris; vt illectus quam inlectus; illudo quam inludo. Cur enim non consulatur auribus? quarum iudicium superbissimum dicit in Oratore* CICERO

(zz) Est quidem INMATVR. et INMVNITAS apud GRVTERVM: Sed valet etiam hic infinita haec SCAVRI praeceptio: *Quoties a liquida litera sequens coeperit, vertitur in eam cui liquida praeposita fuerit, p. 2260*

(a) In Claudio tamen numo legitur INPENSA. Apud GRVTERVM, INPERIVM, INPERFECTVS, INPONITO. Caianus item lapis habet, INPROVISAE. Neque potest vllo modo negari Vespasiano aeuo, N esse ante P adhibitum. Atque eandem etiam scripturam, Theodosianus et Mediceus

I VIR-

gnatum M transit, vt *improbus*, *imperator*, *improuisus* : R etiam literae in compositione cedit, vt *irrigo*, *irrito*. Sed G consequente, plane extruditur, vt *ignarus*, *ignotus*. (b) Tandem Q sequente N in C transit, vt *ecquid* (c)

VI

R LITERA, non potest non semiuocalibus annumerari. quum in eo Grammatici consentiunt omnes. Atque vdae etiam lite-

VIRGILII codices, tenent. Vid. F. HENR. NORISIVM, *Diss. IV*, *p.* 487. At enim vero, PAPIRIANVM audiuisse iuuabit, qui, *IN praepositio*, inquit, *si composita sit, et P aut B aut M sequatur, N in M conuertit, vt, improbus imbuit.* Itaque tuto hac scriptura vtere. Habent etiam monumenta ante VESPASIANVM exscripta, IMPENDIVM, IMPEDITAM, IMPERATOR

(b) Vt ne autem quis G esse N literae vicariam existimet, PAPIRIANI excitabo locum, qui ita habet: *Quoties vero G illam* (N) *sequitur, N amittit, vt, ignarus, ignotus; nam gnarus et gnotus simplices sunt*, apud CASSIODORVM *p.* 2293. Nempe gnotus est a γινώσκω, vt *ignominia* a gnomon. Qui autem eo se recipiunt, vt G προστετικὸν, N excluso ascitum dicant esse, eo suam tueri sententiam annituntur, vt *nosco* in Latinis primitiuis esse, non gnosco, contendant

(c) Ita etiam *ecquando*. Vid. PRISCIANVM *Lib. XII*, *p.* 949

literae rationem, cum in Latinae originis vocibus; tum in his quae sunt Latina ciuitate donatae, sustinet. Hanc autem literam, ab APPIO demum CLAVDIO esse inuentam POMPONIVS refert. ait enim: *Idem* APPIVS CLAVDIVS; *qui videtur ab hoc* (d) *processisse literam R inuenit.* (e) quae verba quo minus ἁπλῶς accipiantur, obstat potissimum hoc, ROMVLI, REMI et Romae etiam vrbis nomina, in vetustis numismatibus, quae GOLTZIVS exhibet, per R scripta, reperiri. Itaque eo nomine, APPIVM CLAVDIVM inuentorem R literae dici existimandum est, quod primus ea, in VALERIVS, FVRIVS aliisque vocibus, quae ante per S scriptae sunt, vsus est. In forma literae R nihil considerandum, praeterquam hoc vnum: lunatam eius lineam siue incuruam, totum fere fulcrum, PHILIPPORVM aeuo occupasse.

(d) Istud ad APPIVM CLAVDIVM, qui Appiam viam strauit referendum. Atque eo innuitur, fuisse quidem hunc APPIVM eadem de gente, sed diuersum tamen ab illo altero APPIO. Vid. SPANHEMIVS, *Tom. I, Diss. II, p. 109*, et in *addendis p. 719*

(e) In *Enchiridio, Lib. III, cap. II, Paragr. 36*. Sunt autem alii, qui aliam quandam literam, mitigandae R, ab ipso esse inuentam dicant. SVETONIVS autem TRANQVILLVS id prorsus ignorat

ad hunc modum: R. Ob speciosam autem, quae ipsi est formam, *maxime* est *generosa* litera, a DIONYSIO HALICARNASSENSI condicta. Genuinus eius literae sonus eo inest, vt crispando linguam efflandoque pronuncietur, et, vt ita dicam, ebulliente voce (f) exeat. Hinc *caninae* (g) est ipsi *literae* a PERSIO nomen impositum; et valde etiam accommodata esse rebus horridis exprimendis, maxime si iuncta A literae fuerit, putatur (h)

R NON raro in manuscriptis exulat, vt *susum* pro sursum, *rusus* pro rursus, *prosa* [illegible] pro

(f) Haec linguae, in efferenda R litera, vibratio, Graecis videtur ansam praebuisse, vt eidem aspirationem adiunxerint. a qua tamen apud Romanos immunis fere est. nisi vt Graecae originis in vocibus, eandem aliquando consequatur, aspirationis nota, vt in PYRRHO. Vid PRISCIANVM *L. I p. 557.* Poterat autem mirum videri, R in Theotisca lingua parcius geminari. cuius rei caussam SCALIGER in eo quaerit, quod hanc literam distenta et rigida lingua ignauius efferimus. *Lib. I de Causs. L. L. cap. X, p. 27*

(g) Redditur eius denominationis, haec a LVCILLIO apud NONNIVM ratio, quod irritata canis R quam plurima dicat. Eadem vero litera, alio nomine *cruda*, *radens*, et *Martia* etiam *litera* dicitur

(h) Iam, si geminatur ista litera, furoris et irarum est, vt, *terror*, *error*. Ceterum PLATO in CRATYLO obseruat, R saepe σημαντικὸν πολλῆς, *indicem crebritatis*, esse

pro prorsa. Veteres pro R, D litera vsi sunt, vt *medidies* pro meridies, VARRO: (i) L quoque, vt *pecula* pro pecora: S pro R, vetusto in lapide: GENIO. NORICORVM. MASCELLVS. MASCELLINVS, pro MARCELLINVS: *Lases* pro Lares, ACCIVS: VALESIVS et FVSIVS, pro VALERIVS et FVRIVS, QVINCTILIANVS: *dolosi* et *eso*. pro dolori et ero, VARRO ex carmine Saliorum: idem, *melios* pro melior, *asena*, *plusima*, *ruse*, *muses osnamentum*, cet: *odos* pro odor, PLAVTVS. Flectendo, R in SS abit, vt *gessi* a gero; *vssi* ab vro: in V consonans, vt *seui* ab sero, *triui* abs tero. In iis vocibus quae Graecis debentur, R per RH scribitur, vt *Rhetor*, *Rhenus*, *Rhodus*. Idque in media etiam voce, R quando geminatum fuerit, euenit, vt, PYRRHVS, *Tyrrhenus*, *Orrhena*, pro quo *Ofrena* etiam dici PRISCIANVS refert. In deriuatis in N mutatur, vt *munus* (k) a murus: in L,

I 3 vt

(i) *Meridies*, inquit, *ab eo quod medius dies. D antiqui non R in hoc loco dicebant, vt Praeneste incisum in soliario vidi, quod* CORNELIVS *in basilica Aemilia, et Fuluia inumbrauit. Lib. V de L. L. p.* 50

(k) *Fuit munus*, inquit SCALIGER, *onus muris reficiendis, vbi primum vnum in locum e vicis conuenissent ad condendum oppidum: inde*

vt *nigellus* a niger : in S, vt *aſſum* et *aſſare* ab ardeo. In compoſitis, R in *inter* ante L (l) in ſimilem mutatur literam, in *intelligo* : ita pariter in *per* (m) etiam L literae cedit, vt *pellicio*, *pellex*

VII

S LITERA, quo ſit referenda, ardua eſt quaeſtio : docti enim homines in tres, eaſque

de munimenta. Lib. I, cap. XXXI, *p. 72*. Vid. BECMANVS in *Manud. p. 705.* qui inſuper etiam monet, murum olim per OE ſcriptum fuiſſe, et a Graeco μοῖρα originem ducere. cuius antiquae ſcriptionis, in *moenia* et *pomoeria*, quaedam veſtigia adſunt

(l) Exiſtimandum non eſt, id in aliis etiam loquelis a litera L incipientibus, vſu venire : integra enim *inter* praepoſitura, in *interlabi*, *interluo*, *interlitus*, atque aliis, perſiſtit. Idque ipſum PAPIRIANVS totidem verbis proponit : *Inter praepoſitio*, inquit, *in vna voce ſequente L litera, R in eandem mutat, vt intelligo, ceteris literis ſequentibus vocalibus, per voces integra manet; vt, interit.* CASSIODOR. *p. 2296 et 2297*

(m) Dicam POLITIANO ſcribit SCALIGER, quod *pellegere* ſcribendum per LL exiſtimat. Sed TERENTIVS SCAVRVS; *Pellego*, inquit, *vt omnes antiqui dixerunt, non perlegere eſt ſcribendum. Vnde et apud* VIRGILIVM *legendum: Pellegerent oculis.* Eſt autem aliquid, vt opinor, hoc in ſcriptu, vſui concedendum. Ceterum *pellucidus* pro perlucidus ferri poteſt

que maxime diuerſas ſententias, abeunt. Quarum altera eſt, S literam ad mutas eſſe literas reiiciendam: (n) altera, neque ad mutas, neque ad ſemiuocales commode referri eam poſſe, ſed μοναδικὸν, (o) et ſui iuris eſſe: alia denique, eſſe eam omnino in ſemiſonantibus reputandam. in quam, vt potiorem, et ipſe pedibus ibo. Rationes autem, quibus haec munita eſt, hae fere ſunt. I) Quod nihil ipſi eorum deeſt, quae ad naturam ſemiſonantis literae pertinent: procedit enim ſonus, qui ei eſt addictus, ab ſonante; et deduci etiam longius, ſine vocali a tergo adiecta, poteſt. II) Quoniam Graeci in ſemiuocalibus eandem re-

(n) Hoc praecipue ad PLATONEM ſpectat, qui eam diſerte mutam vocat. Σ τῶν ἀφώνων, inquit, ἐστι ψόφος τις μόνον συριττούσης τῆς γλώττης. Σ *muta* litera *merus eſt ſonus ſibilantis linguae.* LANGIVS item, ad cuius Grammaticam, ſcatentem multis erroribus, hodie iuuenes noſtri ablegantur, in mutis eam eſſe iubet. Ceterum, nihil iam de MESSALA dicam, qui negauit S vniuerſe eſſe in literis habendam. Auctor CAPELLA

(o) DIOMEDES, *S litera*, inquit, *ſuae cuiuſdam poteſtatis eſt; ideoque apud Graecos μοναδικὸν appellatur. Lib. II, p. 417.* Quo tamen ſemiuocalem eam eſſe non negat. quod inde colligere doctos homines video: ait enim, *l. c, p. 410: S conſonans ſemiuocalis ſuae cuiuſdam poteſtatis eſt.* Dictum inſuper S a quibuſdam eſt ἀσήμων

reponunt. (p) Atque, III) quod PRISCIANVS, (q) MELANCHTHON, (r) SCALIGER (ſ) et VOSSIVS, (t) eam aliis antehabuerunt omnibus. Altera quaeſtio, vtrum S vdis ſit literis aſſocianda, et ipſa aliqua difficultate laborat. Iam ſi in eo naturam vdae literae reponas, vt vim ἁπλῶς producendi conceptionem interdum amittat. atque adeo, quando iuncta mutae ſyllabam ex ſe breuem inſequitur, eam iam non neceſſario longam efficiat, ſed ancipitem potius: nihil eſt quod obſtet, quo minus iis S quoque litera adiiciatur. Porro, hanc

(p) Stagirita, adeo exploratum ſibi habuit, σὰν in ſemiuocalibus habendum eſſe, vt iſtud inter exempla ſemiuocalium primo loco commemorauerit. Verba eius ita habe: Ἡμίφωνον δὲ, τὸ μετὰ προσβολῆς ἔχον φωνὴν ἀκουστήν. οἷον τὸ Σ καὶ τὸ P. *Semiſonans autem litera eam veluti adiectionem habet, vt articulatam efformet vocem, vt Σ atque* P. ARISTOT. *Lib. de Poetica, cap. XX, p. 808.* Iam quum literae S, eadem eſt apud Latinos, quam qua apud Graecos inſtructa fuit, vis ſubiecta: quid ni nomen etiam ipſi idem tribuatur? Vid. NIC. FRISCHLINI *Gramm. Part. I, cap. I, p. 8*

(q) *Semiuocales ſunt*, ait, *vt plerisque Latinorum placuit ſeptem, F, L, M, N, R, S, X. Lib. I, p. 541*

(r) *Grammat. p. 11* (Hypomnem.)

(ſ) *Lib. I de Cauſſ. L. L. cap. VII, p. 15*

(t) *Ariſt. Lib. I, cap. XIX, p. 82*

hanc sententiam PRISCIANI etiam verba adiuuant: nam affirmat, *nostros, cum licentia, et maxime vetustissimos, subtrahere* S literam *in metris frequenter.* (v) quo etiam DIOMEDIS verba esse intelligenda, existimauerim, quum S *plerumque in metro vim consonantis amittere*, (x) ostendit. Atque in fine quidem loquelae eam liquescere, non iam videtur vllo modo negari posse, quum ENNII, LVCILLII, VARRONIS, (y) aliorumque exemplis abunde comprobatur. In media autem voce eam liquescere, parum absum quin et ipse cum VOSSIO (z) negem. Variis autem S litera nominibus,

 pro

(v) *Lib. de Versibus Comicis*, p 1320

(x) *Lib. II, p. 417*

(y) Exemplorum Syllogen apud VOSSIVM in *Arist. Lib. II, cap. XVI, p. 225*, inuenies. Dabo autem non nisi hoc vnicum ENNII:

- - - - - Doctu' fidelis,
Suauis homo facundu', suo contentu' beatus
Scitu', secunda loquens in tempore, commodu' verbum
Paucum - - -

Id autem ipsum apud Graecos etiam euenire, PRISCIANVS auctor mihi est. ait enim: *S quoque quam rarissime necessitate carminis vim consonantis amittit apud Graecos, vt* HOMERVS *in Boetia:* Πολυςάφυλόν θ' Ἱςιαίαν. cet. *Lib. de vers. com. p. 1320*

(z) Eleuat iste omnia, quae in contrariam partem adducantur argumenta. *Lib. II, cap. XVI, p. 226 et 227*

pro variis de eius natura atque indole sententiis, fuit insignita. PINDARVS σὰν κίβδηλον, quasi adulterinam et spurii soni literam dicas, eam vocauit. quo nomine ad sibilum huius literae videtur respexisse: DIONYSIVS, inuiso nomine θηριώδεα (aa) eam appellat: FABIVS, *asperam* illam esse ac *rixantem* ait. Atque hinc veteres etiam Oratores, crebro eius vsu, quem σιγματισμὸν vocant, nos interdicunt. PLATONI vero πνευματώδης audit. quod nomen ad indicandam eius vim maxime est accommoda-

(aa) Caussam huius literae contra DIONYSIVM Rhetorem, et PINDARVM etiam, qui iniqui nimis in hanc literam fuere, LIPSIVS egit. ait enim: *En crimen! Quin tu literam R igitur spernis*, (dixerat autem DIONYSIVS literam R generosissimam esse,) *quia canum? M, quia boum? B, quia ouium? Nam irriunt haec animantia, mugiunt belant. Tamen credo, quum inuidiosum hunc sibilum serpentium dicis: de ventis, arboribus, hominibus quid censebis? quorum sibilos esse, et quidem suauissimos, non negabis. Quid tibiis et fistulis facies. Lib. de Pronunc. L. L. cap. XVI, p.* 48. SCALIGER quoque facete hoc nomine DIONYSIVM traducit. DIONYSIVS, inquit, *cum R generosissimam vocat, at ipsum S, expellit reiicitque ad serpentes, maluit canem irritatum imitari, quam arborum naturales susurros sequi. Lib. I, cap. X, p.* 29. Ceterum, qui *ferinam* et *brutalem* hanc literam vocarunt, et ipsi ad sibilum cum DIONYSIO videntur respexisse

modatum: et tandem TERENTIANVS MAVRVS, non praeter rem, *viuidam* hanc *inter omnes*, ac *densam* literam nuncupat. Figura huius literae a Graecis omnino est repetenda. Idque inde colligitur, quod Latinum S, interdum Graeco intextum sermoni fuit, vt in columna Farnesiana viae Appiae, METAKINESAI. ESTIN: in HADRIANI numo, KAISAR SEMNOS AΔRIANOS reperitur. Iam vero, quum duae (bb) fuerunt literae σάν apud Graecos formae, Σ nempe et C, videndum, ex qua potissimum S Latinorum sit efformatum. Atque ego quidem mallem in Σ figura eius originem quaerere: propter hanc caussam, quod cum multo ea

(bb) Res constat MARTIALIS testimonio. qui ita canit:
Accipe lunata scriptum testudine sigma
Lib. XIV, Epigr. 57. Atque id plurimis etiam exemplis confirmatur, vt aliquo in numo apud SPANHEMIVM: ΔΗΜΟC ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. qui etiam vniuerse de numis, sub Romanis Caesaribus, secundo et tertio saeculo cusis, ita fatur: *In quibus vbi locus literae sigma datur, more illorum temporum, C pro Σ vulgo conspicitur. Differt. II, p. 101.* Fuit autem figura etiam Ʒ, interdum apud Graecos pro Σ adhibita, vt in MAXIMINI GAZAE numo legitur: ANAZAPBOƷ. Item in PHILIPPI iunioris numo Ⅽ pro Σ scriptum est

ea est, quam altera illa antiquior: (cc) tum, quia Latinum etiam S duabus acutangulis, apud MABILLONIVM (dd) in legum fragmentis habetur, ad hunc modum: ꞅ. quae sane figura propius ad Σ quam C accedit. (ee) Exclusit autem CLAVDIVS Caesar, aliam huius literae figuram, quam antisigma vocauit. in hunc modum:)C. (ff) quam tamen adhibere . . . . , nemo

(cc) Qui secus sentiunt, AGATHONIS locum apud ATHENAEVM, vbi Arcus Scytici mentio fit; de C figura interpretantur. et EVRIPIDIS apud eundem ATHENAEVM versum, vbi Σ in THESEI nomine per βόστρυχον εἰλιγμένον, seu *cincinnum contortum* describitur; item de C accipiunt. Sunt autem principes in dissentientibus SALMASIVS atque SCALIGER. Sed, vt iam non dicam, eam descriptionem, parum cum lunata illa figura conuenire; obstat in antiquissimis CADMEI et SIMONIDIS Alphabetis, non C sed Σ conspici. Fuisse autem eam sententiam SPANHEMIVS confirmauit, qui etiam monuit, hanc figuram ante DOMITIANI tempora, in numis quam rarissime occurrere. *Diss. II, p. 99 vsque 102*

(dd) *Lib. de re Diplomat. p. 343*

(ee) Itaque S Latinum a Graeco, *subducta basi* et *angulo*, vt SCALIGER ait, *hebetato*, est effecta. Conf. RVHE, *Spec. I, p. 28*

(ff) Eo consilio haec figura a CLAVDIO videtur inuenta esse, vt Ψ Grae-

nemo est ausus. Denique, ratione figurae huius literae, etiam hoc considerandum: in minuscula scriptura, S incipiente voce, eiusque in medio constitutum, etiam si geminum fuerit, (gg) educendum; minusculum autem non nisi in fine loquelae adhibendum esse. Effertur S litera, *verberatis*, VT CAPELLA ait, *dentibus*, maiusculo, eoque constanti tenore. Eadem so- [illegible] ni- [illegible]

Graecanicum exprimeret. Refert autem eam rem PRISCIANVS his in verbis: *Huic S praeponitur P et loco Ψ Graecae fungitur, pro qua* CLAVDIVS *Caesar antisigma*)(*hac figura scribi voluit, sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare: quamuis non sine ratione haec quoque duplex a Graecis addita videatur. Lib. I, p. 558.* Ceterum S eductum pro duplici vsurpari, res est in vulgus nota, vt, IVSIT pro iussit, apud FLEETW. *Syllog. Inscr. p 2.* Vid. GRVT. *p. CLXXI, n. 8*

(gg) In eo autem aliter quibusdam Literatoribus videtur: nam quando SS geminum est scribendum, primo loco minusculum collocant, vt in *assessor*. Idque eo ab se consilio fieri perhibent, vt ne quid sit in scriptione quod indecore emineat, eamque deformem reddat. Auctor autem his sim, vt maiusculis atque vncialibus vtantur literis, vt quarum nulla alteram magnitudine vincit. Quod si autem id ab his fiat, quibus magna est eruditionis vis; facile hoc reliquis eorum meritis poterit concedi. Confer autem de hac quaestione CHRISTIAN. DAVMIVM. *Part. I Epist. p. 31*

ni ratio manet etiam in SS duplo, nisi vt maiori cum nisu pronuncietur, et sibilum intensiorem aliquanto excitet. Sed adhibenda opera est, vt ne crassiorem huic literae sonum ab initio vocis, quam in eiusdem media parte, attribuamus.(hh) Atque sonus elementi huius omnino aliquid venustatis habet, suauitatisque, ob sibilum, qui ipsi proprius est. ac eam etiam ob rem, valde est accommodata rebus, quae sunt aliqua cum venustate coniunctae, exprimendis, vt *sesamus*, *sanitas*, *salus*. Praeter haec flatibus etiam conuenit, vt *susurrus*

S LITERA omittitur in loquelarum fine, vt in numo coloniae Romanae in Sicilia, ASSORV. pro ASSORVS: item in antiquis denariis, ALBINO. pro ALBINVS, NASIDIV. (ii) pro NASIDIVS: in monumento Nolae in Campania, NARDV POETA PVDENS HOC TEGITVR TVMVLO, pro NARDVS. Auer-

(hh) Perperam itaque fit, quando S in *saccus* atque *sonus*, ita vt DS efferimus. Est autem TERENTIANVS MAVRVS suasor, hoc vt ne fiat. canit enim:

Promptum in ore est, agiturque pone dentes
Sic laeuis, et vnum ciet auribus susurrum.

p. 2384

(ii) SPANHEMIVS, priscos etiam Aeoles Σ omisisse in vocis fine, notat, *Diss. II, p. 122*

Auersione, iste literae S defectus, in ENNII apud CICERONEM versu, notatur. in voce *artubu'* pro artubus. Ita pariter in vocibus compendii caussa combinatis, S abiectum est, vt *passicrinibus* pro passis crinibus, et *multimodis* pro multis modis, apud ipsum CICERONEM. Redundat autem praecipue antecedente X litera, vt in denario gentis Iuliae, et in quatuor gentis Egnatiae, MAXSVMVS: item PAXS in Aemiliae gentis, GALBAE, VITELLII, VESPASIANI et DOMITIANI numis. In lapidibus nihil est, hac re frequentius. Est etiam S aliquando post T literam de abundanti adiectum. quod video Literatores non obseruasse, vt in pariete Palatii Columnensium, CRESCENTSIANVS. Habetur etiam in lapidibus, ASSTANTE, VSSVRIS, cet. Refert autem QVINCTILIANVS, eam esse CICERONIS temporibus, et paullo infra in medio, post vocalem porrectam quantitate, geminatam, vt *caussa*. (kk) M pro S scribi, PRISCIANVS in voce *rursum* pro rursus docet.

(kk) Comprobatur id ipsum variis apud GRVTERVM exemplis, vt PRAEVARICATIONIS CAVSSA, p. DVI. Ratio eundem scriptum suadet: descendit enim a *caueo*, atque est quasi *cauissa*. Neque audiendus PRISCIANVS, qui opinatus est, geminum SS post diphthongum AV horridiorem aliquanto sonum efficere

docet. R pro S ponitur, vt *comperce* pro compesce, FESTVS: T item, vt *tertus* pro tersus, VARRO: X pro S, Narbone, D. M GABRIAE TIGRIX LIB PIENTISS, vbi pro TIGRIX, Tigris legendum: MILEX et PISTRIX passim occurrunt. Denique Z etiam, (ll) vt Cordubae, ante domum Comitis de FERIA, Q. L. LEZBIAE, pro Lesbiae, est positum. Flectendo S in D traducitur, vt *custodis* a custos, *praesidis* a praeses: in N, vt *sanguinis* ab sanguis: in R vt *floris* a flos: in V consonans, vt *bouis* a bos. (mm) In vocibus quarum Graecam esse originem constat, interdum abiicitur, vt Poeta a ποιητὴς; Sophista ab σοφιςὴς: nonnunquam a capite adiicitur, vt sal ab ἅλς, sex ab ἕξ, septem

(ll) Demutationem hanc Graecis etiam fuisse vsitatam, Domitiae gentis numus, cimeliarchii Medicei, documento est. Atque omnibus fere Smyrnaeorum numis, haec epigraphe est: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ

(mm) Solet in mutationibus literae S, etiam commemorari hoc, S in T conuerti. Atque Attici quidem apud Graecos eam demutationem satis frequenter susceperunt; quod S literam odio habuerunt. Vid. LIPSIVS *Dial. de rect. Pronunc. LL. cap. XVI, p. 48.* Sed in Latina lingua id secus est: nam quod dicunt vocem *iratus* ab irascor esse, verum id omnino est: sed per Crasin pro *irascitur*. Vid. SCALIG. *Lib. I, cap. XXV, p. 59*

ſeptem ab ἑπτὰ: mutatum idem in R, vt gubernator a κυβερνήτης: (nn) in X, vt AIAX (oo) ab Ἄιας. Idem duplici ΣΣ accidit, vt VLYXES ab ΟΔΥΣΣΕΥΣ, maxilla a μασσάομαι. Tandem in compoſitione quid eueniat S literae videndum. Abiicit praepoſitura *dis* (pp) S literam, D, G, L, M, N, R literis ſequentibus, vt *diduco*, *digero*, *dilacero*, *dimitto*, *dinumero*, *dirumpo* ac *dirimo*, (niſi in hac voce R epentheticum eſt.) Ita pariter ſi SP aut ST *dis* praepoſitionem praecedat, S eliminatur; vt ne conſonantium trium coniunctio, minus ſonoram vocem reddat: (qq)

(nn) Ipſi autem Aeoles iſtud S in κυβερνήτης iam in R conuerterunt. Ac Eretrienſes idem in σκληρότηρ pro σκληρότης, vſurparunt. Vid. SCALIGER. l. c. *Cap. XXIX*, *p. 68*

(oo) Id apud Dores etiam moris fuit, qui ὄρνιξ legere pro ὄρνις. Vid. PRISCIANVM *Lib. I*, *p. 557*

(pp) Faceſſant hic negotium hi, qui aliam praepoſitionem *dis* eſſe aliam *di* volunt. At enim vero, *dis* quidem, a Graeco δὶς eſſe deductum conſtat: vnde autem *di* eſt deſumtum? Adhaec, ſiue *dis* ſiue *di*, in loquelis ſcriptum fuerit; ſignificatus tamen ſubinde praepoſitioni *dis* reſpondet. id eſt, numerum binarium, ſiue διχοτομίαν innuit. Itaque ad quam praepoſituram ſignificatio pertinet: ad eandem vt ſcriptio etiam referatur, neceſſum eſt

(qq) F literae cedit: ante C autem, P, Q, S, T, vt plurimum manet. In praepositione *trans*, quando alii iungitur loquelae, interdum S literae iactura fit. Nempe ante D, (rr) vt *trado*, *traduco*: L litera praecedente perit, vna cum N, in *tralaticius* (ſſ). quod in aliis vocibus ſecus eſt: item ante I, in *traiicio*: (tt) ante S autem ſeruaſſe S expedit, vt *tranſſcendo*, *tranſſcribo*

VIII

POTERAM ſtatim ad mutas pergere literas: ni me V litera aliquanto detineret. Illa enim, licet in ſemiuocalibus non ſit. quarum conſideratio potiſſimum huius eſt loci; tamen vdis in literis eſt reponenda. quod niſi ita ſeſe haberet, fieri non poſſet, quin

(qq) Addi poterat hoc, non temere ante vocalem, S literam in *dis* ſcribi. In *diiungo* autem, quod CICERONI placet, I conſonum eſt

(rr) Apud CAESAREM autem *tranſduco* et *tranſdo* habentur. qua de re DONATO in principio PHORMIONIS ita videtur: *tranſdere* veteres *ſonantius* dixiſſe, quod nos leniter *tradere* dicimus

(ſſ) Id ipſum CICERONIS exemplo ſtabilitur. In *tranſlatus* autem minime ferendum, ſi quis *tralatus* cum MANVTIO dicat: DONATVS enim lenius nos *tranſlatus* dicere teſtatur

(tt) CAESAR tranſiicio legit. Ceterum, ante N praeſtat ſeruaſſe S, vt *tranſpare*

quin in *equus*, *aqua*, ceteris, prior sylla-ba, longa positu euaderet: id autem iam non fieri, carmina veterum Latinorum loquuntur (vv)

CAPVT V
DE LITERIS MVTIS

I

SVNT, qui mutarum literarum nomen, parum esse, ad vim earum potestatemque indicandam idoneum, existiment: eo enim, omnem ipsis sonum demi occinunt: quum tamen hae quoque partes vocis sunt. Sed *nesciunt* hi, respondet PRISCIANVS, *quod ad comparationem bene sonantium ita sunt nominatae, velut informis dicitur mulier, non quae caret forma, sed quae male est formata.* (a) Adiecerim hoc, eam denominationem e Graecis repetitam esse, qui

(vv) Conf. VOSSIVS, *Lib. I, cap. XIX, p 82.* Ceterum, PRISCIANVS, X etiam atque Z, ad semiuocales retulit, *Lib I, p. 541.* Caussa autem cur eum sequutus non sim, haec est, quod X ex C et S muta altera, altera vocali: item Z ex DS, constant; suntque aliud nihil quam scriptionis compendia

(a) *Lib. I, p. 541.* Disseruit eam quaestionem ex instituto, SCALIGER, *Lib. I, cap. XV, p. 39*

qui eas ἄφωνα ac δύσφωνα dicunt, et PLATO de B ait, ei ὄυτε φωνὴν, ὄυτε ψόφον esse. Dignoscuntur autem mutae ab semiuocalibus eo, quod ab se incipientes in vocalem terminantur. vt iam alio in loco monui; estque sonus ipsorum ita comparatus, vt nullo continuari modo possit. Sunt autem hae: B, C, D, G, I, K, P, V, T

II

INSONARVM prima est B. cuius formam (b) atque nomen nihil moror: habent enim nihil omnino difficultatis. Vim, quae huic est literae subiecta, scies tum, quando quid medii sonum literae P et F intercedit, intellexeris: nam, *labris per spiritus impetum*, MARTIANI verbis vtor, *reclusis educitur*. Peccant itaque Theotisci in eo, quum crassum nimis sonum eius, et a P litera non omnino diuersum, effingunt: Vasconum atque Hispanum, huic est contra-

(b) Lepide admodum ac eleganter, de huius literae figura scribit MARTIALIS, *Lib. V Epigramm.*

Quod alpha dixi, CODRE *paenulatorum*
Te nuper, aliqua cum iocarer in charta;
Si forte bilem mouit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum

trarius error: illi enim B literam, non ſecus ac Aeolicum digamma efferunt (c)

PRO B ſcriptum D, vt *duis* pro bis, CICERO: *duellum* pro bellum, QVINCTILIANVS. (d) P aliquanto frequentius pro B vſurpatum, (e) vt in ELEAGABALI numo

(c) Quis eſt quem non SCALIGERI, huius erroris confutatio iuuet. qui eorum, qui ita ſentiunt, viuere *bibere* eſſe ait. Atque ſi iſte iuſtus eſſet huius literae ſonus, qui poſſet VARRO affirmare, vocem *balare* ab ouium balatu eſſe deſumtam. quis enim dixerit, *valare* ouium balatum referre

(d) Idem etiam auctor eſt, B literam olim H notae locum occupaſſe, in BELENA pro HELENA. *Lib. I, cap. IV*

(e) Poteſt ea demutatio e Graecis eſſe petita: nam regio Lampſacena quae quondam Ἀπαρνὶς dicta fuit, poſtea Ἀβαρνὶς eſt vocata. PLVTARCHVS quoque commemorat, eas literas a Delphis eſſe commutatas, ita vt βατεῖν et βικρὸν, pro πατεῖν et πικρὸν legerint. Vid. alia exempla apud SPANHEMIVM, *Tom. I, Diſſ. II, p. 120*. Praecipue autem in cauſſis huius mutationis commemorandum eſt, ſonum inter P et B literas, multis modis inter ſe conuenire. Neque ea res SCAVRVM praeteriit. Ait enim: *B cum P etiam conſentit, quoniam origo eorum non ſine labore coniunctione reuelli a quoquam poteſt, Graeci* Πυῤῥίαν, *noſtri Byrriam: et quem Purrum, antiqui Burrum, palatium: item* PVBLICOLAM, BOPLICOLAM: *alii*

numo VOTA PVPLICA: ANTONINI PII numus habet, FORTVNA OPSEQVENS: in valle DIANAE, agro Atinate, VT. EX. AGRO. POPLICO. ARATORIBVS. CEDERENT. PASTORES: Romae ad aedem SATVRNI, lacumque CVRTII, APSENTI pro abſenti: in ſepulcro C. CESTII, in ea quae verſus orientem ſpectat parte, OPVS APSOLVTVM: in via ſacra, OPVS OPSTRVITO. V pariter pro B ſaepius occurrit, vt in numo THEODOSII Magni, GLORIA ORVIS TERRARVM: (f) Romae, in domo DELPHINII, D. M. AVREL. DIOGENETI SACERDOTI VENEMERENTI FECIT AVRELIA: in CORITII cuiuſdam domo, CVM. VASE. SVA. POSVERVNT: in PLAVTII monumento; EX NVMERO. TRANSDANVVIANORVM. (g) Temporum deductione

alii Scapillum, alii Scabillum dicunt. p. 2252. Conf. TERENTIANVM MAVRVM, *Lib. de Metris, p. 2387*

(f) Harum literarum inter ſe mutationem, a IVLIANO imperatore iam fuiſſe obſeruatam, SPANHEMIVS monet. l. c. *p. 120.* conf. *p. 128*

(g) DEVITVM pro debitum, FAVIVS pro FABIVS, INCOMPARAVILIS, cet exſtant apud GRVTERVM. Vid. etiam SPO-

ne B in S conuertitur, vt *iussi* ab iubeo: in P, vt *scripsi* ab scribo, *nupsi* a nubo. In Graecae originis vocibus, B est pro Π ascitum, vt *buxus* a πυξος: et loco Φ etiam literae, vt *ambo* pro ἄμφω. Vice autem versa, Graecum B per PH a Latinis redditum, vt triumphus a θρίαμβος. In deductis a domesticis vocabulis, mutatur in M, licet rarissime, vt *glomus* a globus. In compositis a praepositionibus, ita varie mutatur, vt vix ad certas regulas reuocari posse videatur. Dicam primo de *ab* (h) prae-

SPONIVM in *Miscel. p. 36.* Obseruauit autem PRISCIANVS, *Aeoles quoque loco digamma B scripsisse. Lib. I, p. 550.* Atque haec V et B literarum demutatio tanti visa est ADAMANTIO MARTYRIO, vt integrum de istis literis librum composuerit, cuius aliquam veluti Syllogen CASSIODORVS, *cap. V, p. 2295* dedit. LIPSIO ille non vsque quaque ἀδαμάντινος μάρτυρ: *miscet enim,* ita infit, *e scholio suo puluere: et scribes, inquit, besicam, naebum, baluas pro foribus aedium, bernam, pro eo qui seruo natus: non vesicam, naeuum, valuas, vernam. Item manuuias, non manubias: ab ambio, ambibi non ambiui, cet. Dial. de rect. Pronunc. cap. XII, p. 36*

(h) Nescio sane qui fiat, vt diuersi praepositionum *a*, *ab* et *abs* vsus, nulla fere in compositione vocum ratio habeatur: nam *ablego, abduco*, et aliae eius generis voces, vsu sunt receptae: quum tamen *ab*, ante semisonantem, exceptis R et S literis, locum

praepositione. Ea autem, insequente F litera, in V conuertitur, vt *aufero* (i) et *aufugio* locum non habet. Ita pariter *abs* ante Q et T literas solet adhiberi: enimuero in compositis ante C collocatur, vt *abscondo*

(i) Vnus A. GELLIVS est, qui neget, *au* in aufero, ex *ab* praepositione esse. Atque eo etiam nomine CICERONEM, qui istud alterum in Oratore asseruerat, *virum acerrimae in studio literarum licentiae* dixit. Integer autem GELLII locus ita habet: *Sed illud magis quaeri inspicique dignum est, versa ne sit et mutata ab praepositio in au syllaba propter lenitatem vocis, an potius au particula sua sit propria origine: et perinde vt pleraeque aliae praepositiones a Graecis, ita haec quoque inde accepta sit: sicuti est in illo versu* HOMERI:

Ἄυερυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν,
Καὶ ἄβρομοι αὐίαχοι.

A. GELLIVS, *Lib. XV, Noct. Attic. cap. III, p. 304.* Sed haec disputatio, non videtur vero esse consentanea: namque praepositionis *au*, nec vota nec vestigium veteres apud Literatores adest. Fac autem esse *au* in *aufero* Graecum αὖ, num etiam significatus vocis aufero isti αὖ responderet? Ceterum, sensum vocis αὐέρυσαν, PETR. MOSELLANVS in annot. ad GELLIVM eruit

Nollem tamen quemquam, ex mente P. NIGIDII, huc etiam verbum *autumo* referre: ille enim opinatus fuit, hanc ex *ab* et *aestumo* coalitam esse; sed ea Notatio cum significatione ipsius conciliari nequit

fugio. Sed haec regula perpetuae non est obseruationis: nam in *absuit*, (k) B non temere est mutandum. Transeo ad *ob* praepositionem, in qua B, literae F insequenti cedit, vt *offero*, *offendo*, (l) *officio*. Ante G autem, B litera ambiguae est sortis; et iam in G transit, vt *oggero*: iam non, vt *obgannio*. (m) Denique etiam ante P, in eandem transfertur, vt *oppono*, *opprimo*. Praepositio *sub*, alias praepositura quae in B finiuntur, difficultate vincit. Fieri autem non potest quin multa in eius mutationibus reponamus, quae in eam non cadunt: nisi euictum ante fuerit, aliam esse praepositionem *sub*; aliam *sus*. Atque *sus*, ne

 quis

nequit: est enim *dico*, *opinor*, *censeo*. Cui autem volupe est, pleniorem eius sententiae confutationem nosse, adeat A. GELLIVM, *l c. Lib. XV*, *cap. III*

(k) In manuscriptis quibusdam *afuit* legitur. Vid. IO ANDR. BOSIVM, ad CORNELII NEPOTIS AGESILAVM, et CELLAR. *p. 27*

(l) Immunes ea a lege sunt voces hae.: *obfusco*, *obfirmo*

(m) Visum non fuit, M literam, in his referre, quibus consequentibus B litera in similem mutatur: quoniam aures offendit. MARIVS autem VICTORINVS hac quidem in re dissentit. *Ob mutatur*, inquit, *in cognatas easdem*, *vt offert*, *officit*, *et ommovet*, *ommutescit*, *et oppandit*, *opperitur*, *ouuertit*, (quod ipsum etiam minime probauerim) *ouuius*. *p. 2465*

quis erret, CAMERARIVS in Plautinis manuſcriptis, non ſemel, ſeparatim exſcriptum inuenit. (n) cuius hac in re teſtimonium, omni videtur exceptione maius eſſe. *Sub* praepoſitionis demutationes, his regulis abſoluuntur. Primo, C literae cedit, vt *ſuccedo*, *ſuccumbo*: (o) ante F in ſimilem ſubinde tranſſertur, vt *ſufficio*, *ſuffigo*, *ſuffundo*: item ante G, vt *ſuggero*: (p) ante M expedit eam ſeruaſſe, licet

(n) *Sus*, quondam aliquem motum verſus caelum indicauit. Ex *ſus* autem deinde factum *ſuſum* (ἄνω,) inde *ſurſum*. Vid. CELLAR. *p*. 42. Hodie autem ea praepoſitura fere loquelaris vnice eſt; niſi vt in loquutione: *ſuſque deque aliquam rem habere*, adhuc ſeparatim ſoleat ſcribi. de qua A. GELLIVS, *Noct. Attic. Lib. XVI*, *cap. IX*, data opera egit; ſuaeque interpretationi, ſubiectis ex LABERIO, VARRONE et LVCILLIO exemplis, magnam ſimilitudinem vero conciliauit

(o) Itaque *ſuſcipio* huc non pertinet, vtpote quod a *ſus* et capio eſt compoſitum. Eſſe autem *ſubſicius* non *ſuccifiuus* exarandum; ipſa e Notatione huius vocis patet: eſt enim a *ſubſecando*. quod VOSSIVS, *Ariſt. Lib. I*, *cap. XLIII*, *p. 160*, oſtendit. Comprobatur inſuper ea ſcriptio, atque ſtabilitur, veterum monumentis, vt SVBSICIVA, apud GRVTERVM *p. MXXXI*, *n. 2*: item *p. DXII*

(p) Interim tamen SVBGVLARE, ſemel apud GRVTERVM, *p. DCXLVII*, *n. 7*, occurrit

licet non desint exempla, quae cum hac regula parum consentiant. Ad ipsam autem regulam pertinent haec exempla: *submitto*, *submergo*, *submolestus*, *subministro*, (q) cum aliis. P literae, B cedit, vt *suppetit*, *supplex*, *suppono*. Ante R vtplurimum manet, vt *subrepo*, *subrideo*, *subruo*: enimuero *surripio*, (r) *surrogo* (s) et *surrigo*, (t) multis hodie placent

III

(q) Apud GRVTERVM SVMMOTA est; apud FESTVM *summissior*; apud CICERONEM *summutauit*; apud HORATIVM *summouet* VIRGILIVS autem constanter, *submittite*, *submersas*, *submouet* scripsit

(r) GRVTERI vasto in inscriptionum opere, SVBREPTA *(p. DLXXXIX)* reperitur, et PRVDENTIVS habet *subrepsit*. Est autem potissimum vsus respiciendus

(s) Exemplorum, hanc scriptionem improbantium, abunde est. Audiuisse VLPIANVM iuuabit: *Lex aut rogatur*, inquit, *id est*, *fertur aut abrogatur*, *id est prior lex tollitur: aut derogatur*, *id est pars primae legis tollitur; aut subrogatur*, *id est*, *adiicitur aliquid primae legi: aut abrogatur*, *id est mutatur aliquid ex prima lege*. TACITVS, cum ea scriptione consentit. *Annal. Lib. I, cap. LI*. Item apud LIVIVM, *collegae subrogando*, scribitur, *Lib. II, cap. VIII*

(t) *Subrecto* est apud SVETONIVM, in VITELLIO, *cap. XVII*. Ceterum, nemo se vocabulis: *sustento*, *sustuli*,

III

C LITERA, variis est nominibus insignita: a veteri enim, qui apud Romanos viguit ritu, *tristis* (v) est conuocata: item *contradictionis* (x) litera; quod ista vox C literam in fronte gerit. Ac tandem Ῥωμαικὸν κάππα, (y) ob exprimendam vim ipsi

li, eo adduci patiatur, vt B in *sub*, ante T in S mutari existimet: in his enim praepositio *sus* non *sub* adest

(v) Nempe a QVINT. CASSIO tabellaria est lex sancita, vt iudices tabulas in cistam mitterent, quae aut A; aut C; aut NL literas insculptas haberent. Atque C condemnantis erat. MICH. GOTLIEB AGNETHLER, ex numophylacio Schulziano, CASSII numum exscripsit; in cuius vna parte VESTAE velatum caput, cum epigraphe: VESTA CASSIVS: in altera fanum VESTAE, vrna, et tabula A et C literis insignita conspicitur. Atque C quidem literam, ad eas Vestales virgines, quas ipse damnauerit retulerim. Vid. ASCONIVS PAEDIANVS, ad CICERONIS pro MILONE, *cap. XII.* AGNETHLERVM in *Numophyl. Schulz. Part. I, Tab. III. it. p. 104*

(x) Solet huic literae, quando contradictionis nota est, addi D. Conf. ERODIVM ad QVINCTILIANVM

(y) Ἐν τοῖς τῶν βουλευτῶν, inquit SVIDAS, ὑποδήμασιν ἀποσημαίνεσθαι τὸ Ῥωμαικὸν κάππα. *In senatorum mulleis, Romanum erat κάππα conspiciendum.* Nempe assuta quaedam lunula calceis Senatorum, qui ex Patriciis erant, fuit: quo

ipsi insitam. Forma ipsius vna est semper atque eadem: sed inuersum nonnunquam reperitur, vt in vrnula apud DELPHINIOS, ER. Ɔ. VICTORIS SECVTOR, vbi Ɔ centuriam notat: apud BOISSARDVM eductum etiam istud esse video, vt SEX FONTEIVS. Ɔ. L TROPHIMVS. (z) Occurrunt autem passim, diuersae ab hac formae, quibus loquelae, a C incipientes insigniuntur: enimuero eae ad notas, et compendia scriptionis, sunt referendae. (aa) Origo figurae, quam hactenus consideraui, repetenda ab Achiuis. Nempe e Γ orbiculato est efficta

quo dignosci a nouiciis eo commodius possent. Estque ea insuper nota significatum, centum olim senatores fuisse a ROMVLO creatos. Vid. ISIDORVS, *Lib. XX Origin. cap. XXXIV* et VOSS. *Arist. Lib. I, cap. XVII, p. 76*

(z) *Pag. 148.* Solet autem potissimum inuerti tum, quando CAIAM notet. Vid. QVINCTILIANVM, *Lib. I, cap. VII.* VELIVM LONGVM, *p. 2218*; Idque eo minus potest negari, quum F etiam filium, Ⅎ autem filiam, veterum in scriptis significat.

(aa) Verbi caussa, in foro SEMPRONII in Piceno legitur: L LVCILIVS. 7. L CHRESTVS, vbi 7 est pro CAIVS: ita quoque Ʒ pro centuria habetur apud GRVTERVM, *p. MCV n. 5*: E pro Centurio: Ɔ pro Caia

cet

effićta. Quando efferenda haec litera est, linguae extrema a palato ad dentes appellantur. Eique geminus vulgo ſonus aſſeritur, iuſtus alter; alter ſpurius: ille quidem hodie aſſeruatur, ſi C ab A, O et V literis excipiatur, vt in *caua*, *cor*, *cutis*: (bb) hic autem ei ante E, I, Y, AE et OE affingitur: nempe eiuſmodi ſonus, qui proxime ad literam S vel Z accedit; adeo vt iam parum interſit in pronunciatione, ſiue CYRVS, *cella*, *coepi*: ſiue, Syrus, ſella, ſepi, legas. (cc) Quo quis autem

(bb) Iam vero ſi S litera praeceſſerit, ante has ipſas etiam literas, mancus literae C ſonus et mutilus redditur, vt *ſcapha*, *ſcorpius*: nam aliter efferuntur, ſi fingas loco C, K eſſe ſcriptum. quod a rećta pronunciatione alienum maxime eſt: ſiquidem C et K eundem ſonum, vim eandem habent. Aućtor eſt PRISCIANVS, *Lib. I, p. 543: Carthago et caput*, ita fatur, *ſiue per C, ſiue per K ſcribantur, nullam faciunt nec in ſono, nec in poteſtate eiuſdem conſonantis differentiam.* Conf. QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. VII*

(cc) Erat autem ſuus cuique literae ſonus relinquendus, nec C, eodem quo S litera modo efferendum: eſſe enim alium C quam S literae ſonum, poteſtatem aliam; Grammatici ad vnum omnes docent. Ergo ita C vbique efferendum, vt in *dic*, *fac*, *lac* fieri ſolet. Ecquid enim cauſſae eſt, vt ſuus ſit literae C, in voce *capio* ſonus: in *cepi*

autem magis rectam pronunciationem amat: eo etiam magis sibi ab sibilo in efferenda hac litera caueat: contra ea autem expeditissimum ei tenuissimumque, et siccum etiam sonum vindicet (dd)

REDVNDAT C litera potissimum ante X literam, vt in area hac ad Tabernas montanas reperta:

VOSEGO

pi autem, praeterito inde flexo, ascititius ei et spurius attribuatur? Videtur autem vicinis Gallis, iste naeuus pronunciationis deberi. qui C cum sibilo proferunt. Ceterum LIPSII de hac labe querelas haut inanes subiicere placet. Ait autem: *Quae haec proteruitas? quis auctor? apex non est in veterum scriptis qui stabiliat: et mos ille tantum a mala quadam libidine peccandi.* Dein pergit: *Pudet non tam erroris, quam pertinaciae quia corripi patiuntur, at non corrigi: et tenent omnes quod defendat nemo. Dial de Pron. L. L cap. XIII, p.* 42. Vid. VOSS. *Arist. Lib. I, p.* 106

(dd) Id ipsum SCALIGER etiam monet. cuius verba haec sunt: *Ipsius ergo sonus C, cum sit idem cum sono ipsius K, cauendum nobis maxime est, ne addatur aspiratio, sed siccissime est pronunciandum, non mucrone, sed latiore parte linguae interioris adducta ad palatum, atque adstricta, vt quam tenuissimus quamque expeditissimus sonus transabeat. de Causs. LL. Lib. I, cap. X, p.* 23.



Ita CONIVNCX etiam, NVNCQVAM, PHILOCXENVS, IVNCXIT, in monumentis habentur. F, aliquando pro C legitur, in *fulina* pro culina; *farmen* pro carmen. Nulla autem cum litera frequentius est commutata, quam cum G (e) idque inde factum, quod ante G literam a SPVRIO CARBILIO repertam, eius subinde loco scripta fuerit. Exinde in numis POSTVMI, aliisque, iam MAGVSANVS: iam MACVSANVS, HERCV-

LES

(ee) Graeci etiam formam C, quae tamen apud eos Σ literae erat, cum Γ permutarunt, vt Agrigentinorum in numis videre est

LES conuocatur: LYGVRGVS pro LYCVRGVS in vetustissimo VALERII FLACCI codice: *alagriores* pro alacriores, VARRO habet. K pro C scriptum, vt in ANASTASII apud BEGERVM numo, in auersa parte habetur, M ✝ I K. quod DVLODORVS ita interpretatur, vt M sit MARIA, I IESVS, K CONSTANTINVS. VOLKANVS: pro VVLCANVS in Valerianorum numis: Romae in Quirinali. DOMO KAPITOLIA: in vinea Cardinalis Carpensis, KANDIDAT E(ECTVS: aliis in monumentis, ARKA, CAPVT, KASTRA, KASIBVS. Q pro C est positum, in numismate Schwarzburgico, in quo, FOEDVS P. R. QVM GABINIS legitur; ni potius hodie C in *cum*, Q literae locum tenet: Angleriae in delubro. I. O. M. P. QVRTIVS. P. F. VICTOR P. QVRTIVS P. F. PRIMVS. VI. VIR. IVN: QVOI pro cui et SEQVLVM pro saeculum, passim habentur: (ff) T pro C positum, vt in monumento quodam, quod Constantinopoli est, TRATIAM pro Traciam; item in FABRITIVS pro FABRICIVS. Vt

(ff) Monuit SPANHEMIVS cascam etiam literae Q figuram, siue Koph, pro C scribi. l. c, *p. 121*

Vt ne autem quis temere T pro C ſcribat, tenendum hoc: deriuata, quae in *icius* (gg) finiuntur, optime per C ſcribi, vt *aedilicius*, *commenticius*, Floralicius: in primitiuis autem Notationem vnice eſſe reſpiciendam. Iam in nominibus propriis qualis obtineat ſcriptio, e monumentis et numiſmatibus eſt videndum. Solet autem MVCIVS, MINVCIVS, SVLPICIVS per C: APICIVS, STATIVS, HORATIVS, POTITIVS, AETIVS, VEGETIVS, LVCRETIVS, per T ſcribi. Flectendo in S mutatur, vt *parſi* a parco: (hh) in V conſonans,

(gg) Valet ea regula interdum etiam tum, quando Notatio repugnat, vt *condicio*. quod vocabulum optimis vetuſtiſſimiſque in manuſcriptis, per C legitur ſcriptum, licet ab ſupino *conditum* deſcendat: item *nouicius* a nouitate dictum. *Amicitia* autem, per T eſt ſcribendum: quia ab *amiciter*, Plautino aduerbio, deriuatur. *Aduenticius* per C alii; alii per T ſcribunt. Ceterum, ad hanc regulam potiſſimum nomina, ab ſupinis deducta ſpectant. Atque adeo: *aduecticius*, *commendaticius*, *conducticius*, *tranſlaticius*, *emiſſicius*, *ſuppoſiticius*, *ſubrepticius*, *adopticius*, atque alia eiuſmodi vocabula, C literam exigunt. quae etiam ſcriptura PRISCIANO, MANVTIO, aliis, probatur

(hh) In T eam mutari exploratum non eſt: in exemplis enim, quae PRISCIANVS (*Lib. I, p. 559*) adfert, Craſis videtur eſſe, vt *iratus*

nans, vt *quieui* abs quiesco, *asciui* ab ascisco: (ii) in X, vt *dixi* a dico; *duxi* a duco. In mutationibus, quas C in deductis patitur vocabulis, praecipua haec est, quando in G vertitur, vt in thesauri Schwarzburgici numo, est QVADRAGENSVMA, quum tamen in binis GALBAE numis, QVADRACENSVMA legitur. quod in monumentis etiam saepius occurrit. Atque ea demutatio, hodie fere in omnibus cardinalibus a centum compositis, obtinet. (kk) Porro, in R transit, vt *serra* ab seco: geminatur in *peccare* a pecus. (ll) Compositione in G conuertitur,

iratus ab irascor: nam olim fuit *irascitus*.quod desitum est. Vid. SCALIGER, *Lib.I,cap.XXV*, *p.58*

(ii) Negat SCALIGER, *paui* a pasco in mutationibus literae C, (quod tamen repositum in iis a PRISCIANO, l. c, fuit,) haberi posse; propter hanc caussam, quod pasco primitiuum non sit: sed id demum, more Aeolum, qui abiecta aspiratione σκω syllabam verbis adiiciebant, iuuectum esse. *Lib. I, cap. XXV, p.58*

(kk) *In G*, C litera mutatur, *antecedente N*, *quadraginta*, *quinquaginta*, *quingenta*, *septingenta. ungo quoque pro ancho.* Haec PRISCIANVS differit, *Lib. I, p. 559*

(ll) Haec SCALIGERI est obseruatio. l. c. *cap. X, p. 27.* Et commodius sane *peccare* a *pecus*, quam a *pede capiendo*, vt quibusdam placet,

titur, vt *negotium*, a nec et otium; *negligo*, a nec et lego

IIII

D LITERAE, forma vnde sit, si nosse volueris, VOSSIVS (mm) erit audiendus. qui eius figuram ex Δ rotundato efformatam esse contendit: suamque sententiam aduersus SCALIGERVM, (nn) qui putat ean-

placet, et ab Hebraeo בָּגַר, deriuatur, facit autem cum SCALIGERO FRANCISCVS etiam IVNIVS, qui, *cap. II* de peccato, ita fatur: *Peccare quasi pecicare, vel pecurare, pecudis modo lineas transilire, quas Deus et natura homini circumposuerat: ex quo etiam veteres pecudium et pecudiarium* τὸν προδηίω, *hominem praecipitem qui pecudis more extra ordinem lineasque eius se infert temere, appellarunt*

(mm) *Arist. Lib. I, cap. XXIX, p. 109*

(nn) Argumenta quibus SCALIGER suam sententiam communiuit; ita sunt comparata, vt magnam prae se veri speciem ferant. Nempe quo AVSONII sententiam frangat, qui: *Non formam gero Romuleum D*, dixerat, ad vetustam Farnesianam viae Appiae columnam, quae dedicata est ab HERODE, Attico Rhetore, prouocat. Atque in ea ODENI pro ὀδενὶ, HODOI pro ὁδῷ, HERODO pro Ἡρώδῃ. cet. occurrit. Sed haec inscriptio ad ANTONINI PII tempora referenda: atque apud Latinos iam dudum ante ANTONINVM natum figura

eandem omnino Graecis fuisse, quae Latinis est literae D formam, defendit. Ipsius figurae huius literae D, quaedam est in hanc: Ɔ, metamorphosis molita, vt in tabula, quae Viennae Austriae, ad murum collegii Medicorum est, haec inscriptio habetur: (oo)

figura Δ obtinuit. Quare ita statuendum, e Latina Literatura formam D (quae quidem effecta ex Δ est) leua mente desumtam, Graecis esse Literis in Farnesiana columna mistam. Nullum autem idoneum exemplum ex antiquioribus temporibus, adduci in medium potest, quo constet, D esse pro Δ scriptum: sed Δ forma vbique visitur. Atque cuidam etiam apud Aegyptios insulae, nomen est Δέλτα a figura triquetra impositum. Itaque Δ figura, Graecis cascis, non autem D fuit cognita. Sed meum non est, tantas inter hos Grammaticorum coriphaeos lites componere

(oo) Hac in inscriptione ACLECTO est pro adlecto: ƆEC. pro decurione. Literae autem in calce huius monumenti repositae: L. Ɔ Ɔ Ɔ significant hoc: *Locus datus decreto decurionis*. In rostrata illa, quae Romae in Capitolio habetur, DVILII columna; idem in voce ƆICTATORED (GRVT. *p. CCCCIIII n. I*) legitur. Nisi quid a LIPSIO, qui eam descripsit, est titubatum, quod parum absum quin mihi persuadeam

P. CLAVDIO. PALLANTI
HONORAT. REPENTINO
AↃLECTO
INTER. TRIBVNICIOS
LEG. PR. PR. PROVINCIAE
AFRICAE PRAETORI
LEG. PR. RR. PROVINCIAE
ASIAE. LEG. AVG. LEG. X. C
C. IVLIVS. MAGNVS. ↃEC. COL
KARN. EQVO PVBLICO
EX. V̄. ↃECVR
DIGNISSMO
L. Ↄ Ↄ Ↄ

Effertur autem ea litera in hunc modum, vt sublata lingua superiores dentes tangat. ex quo vis pariter quaenam ei insit, quiue eius sonus sit, intelligi potest: nempe conueniens ex parte cum T; obtusior autem ex parte ac remissior, (pp) quam quo T

(pp) *D strictius*, ita PETRO RAMO videtur, *lingua inferos dentes et modice afficiendo, mollius* (quam T) *sonat.* MARIVS autem VICTORINVS, plenius eam rem vidit. *D tamen et T*, inquit, *quibus, vt ita dixerim, vocis vicinitas quaedam est, linguae sublatione ac positione distinguuntur, nam cum summos atque imos coniunctim dentes suprema sui parte pulsauerit, D literam exprimit: quoties autem*

T effertur. quod plenius vbi de T litera dictum fuerit perſpicietur

D, ANTE R abundat vt in quadam, quae Nemauſi eſt, inſcriptione: C. TERENTIVS ROMVLVS SIVE. DRYMVLVS habetur. Potiſſimum autem in caſibus his, qui in vocalem deſinunt, vt in DVILII columna, DICTATORED, pro Dictatore: MARID pro mari bis in eadem occurrit. vt et NAVALED. PRAEDAD. Alibi MONVMENTVD, MOLTATICOD. In verbis id quoque factum, vt pVCNANDOD. (qq) Cadit e contrario in *hau* pro haud, vt in capite pontis ſancti BARTHOLOMAEI: EST. SEPVLCRVM. HAV. PVLCHRVM. PVLCHRAI. FEMINAE. T pro D vſurpatum priſcis eſſe, LEONIS, CONSTANTII, aliique numi bene multi arguunt. *Quot* pro quod,

 Var-

tem ſublimata partem, qua ſuperius dentibus eſt origo, continget T ſonare vocem explicabit. Lib. I, p. 2455

(qq) Ita in XII etiam eſt Tabulis, CAPITAL ESTOD, pro eſto. In primis autem Poetae, in fine D literam adiecerunt vocibus, ſi qua vocalis inſequeretur, vt HORATIVS: *maled ominatis, Carm. Lib. III, od. 13: propinod,* PLAVTVS

Varronae prope Euphemiam legitur, et quidem hoc in monumento: (rr)

DEO. MAG
NO. AETERN
L. STATIVS. DI
ODORVS QVOT
SE. PRAECIBVS
COMPOTEM
FECISSET
V. S. L. M

At pro ad Tibure, in aede s. SILVESTRI VSQVE. AT. CIPPVM. III.: in muro Tergestuae ciuitatis, ALIVT pro aliud: sub Capitolio, in basi statuae, APVT. DIVOS. PRINCIPES, pro apud: QVIT pro quid, tabulae aeneae, in basilica Lateranensi, inscriptum est: ID pro id, Romae in marmorea, apud Cardinalem MAPHAEIVM, tabula, his in verbis: IT QVOD INFRA SCRIPTVM EST. In eadem *set* etiam per T legitur, vt

(rr) Apud GRVTERVM quoque inuenies: VOT. QVOT. FECIT. A. L. P. pro; *votum quod fecit animo lubenti persoluit*

vt EGO NON TANTVM CONSENTIRE VOLVNTATI VESTRAE SET ET GRATVLARI DEBEO. (ſſ) In temporum formatione, D in S ſimplex pariter atque duplex conuertitur. hoc in *ceſſi* a cedo, *foſſus ſum* a fodio, aliis: illud vero in *raſi* ab rado, *ſuaſi* ab ſuadeo, reliquis, euenit. D in B in iis vocibus, quae e Graeca in Latinam

 lin-

(ſſ) Ea τȢ SET per T ſcriptio, non eſt conſtanter hoc in monumento ſeruata: in ea enim, quae proxime hanc conſequitur, linea, idem per D eſt exaratum, in SED TANQVAM VNVS. Qui itaque alteram illam, in hac apud Caeretes Ann. 1548 reperta tabula ſcripturam, indoctis lapicidinis tribuerit, aliqua ex parte me conſentientem habebit. AGNOEVS CORNVTVS, vtroque id quidem modo ſcribi poſſe, ſed praeferendam tamen ſcripturam per D, quod *apud antiquos ſed, ſedum* fuerit, putat. apud CASSIODOR. *p.* 2283. Ceterum, demutationem T atque D literarum, ſatis fuiſſe apud antiquos frequentem, aliis etiam multis exemplis conſtat, vt RETER, apud GRVTERVM eſt, pro reddere: ITCIRCO pro idcirco. Atque ea etiam ſcriptio in CAII et LVCII Caeſarum Cenotaphiis obtinet. Vid. ANG. POLITIANI *Lib. IV, Epiſt. IX.* FABIVS item QVINCTILIANVS, *Quid T literae*, inquit, *cum D quaedam cognatio? Quare minus mirum, ſi in vetuſtis orbis noſtrae et celebribus templis legantur;* ALEXANDER et CASSANTRA. *Lib. I, cap. IV*

linguam translata sunt, mutatur, vt *bis* a *δὶς*: in L, vt VLYSSES vel VLYXES ab ΟΔΥΣΣΕΥΣ. (tt) Porro, in compositis a praepositura *ad*, multis modis mutatur: nam in C, eadem litera sequente, conuertitur, vt *accurro*, *accola*, *accedo*: F literae cedit, vt *affirmo*, *afficio*: item G literae, vt *aggredior*, *aggrauo*: L consequenti, vt *alleuo*, *alloquor*: (vv) N insuper literae si

(tt) In Latinae originis vocabulis; T literam cum D commutari, SCALIGER, in voce *quatio* a cudo obseruauit. *Cudo fuit vetus*, inquit *verbum κύδω*, *adhuc durat κυδάζω*: *significat strepere*: *vnde κύδος*, *conuitium*, *et κῦδος gloria strepitus ille popularis.* Interim tamen non contemnenda etiam BECMANI sententia, qui Etymon vocis *cudo*, in Hebraico רָקַע contineri opinatur

(vv) Id vero non est eo dictum, quasi nemini integrum esse existimem, D literam ante F, L, aliasque adhibere: Sunt enim in his quibus magna eruditionis vis est, non nulli, quos ea scriptio iuuet. Nec desunt etiam veterum inscriptiones. quae pro illorum sententia militant, vt ante F bis apud GRVTERVM in voce ADFINITAS positum est. Vid. *p. CCCCXII, n. 2: n. 3.* ante L in voce *adloquor*, in NERONIS, GALBAE, DOMITIANI, aliorumque numis: ante Q, vt in TRAIANI numis: ARABIA ADQuisita: ante S, vt in VESPASIANI numo, ADSERTORI LIBERTATIS PVBLICAE, cet. Sed hoc mihi volo; si qua inscriptione veteres parum

ſi cedat, Sonoritati conſulitur, vt *annuo*, *annitor*, *annuncio* : Q, duplici literae, ex parte cedit, in *acquiro* ; et *quicquid* (xx) abs quid. eſt enim Q litera ex C et V : in *atque* autem in T conuertitur, vt in Caiano lapide, et Mediceo VIRGILII codice vetuſtiſſimo, videre eſt. (yy) Porro ante

rum ſibi conſtent, ſatius eſſe eam conſequi, quam aures potiſſimum probent. Iam vero in voce *affectatio*, vt hac vtar, nonne aliquam videtur adfectationem redolere, ſi per D literam ſcribatur? Atque ea quaeſtio iam QVINCTILIANI aeuo eſt ventilata. *Quaeri ſolet in ſcribendo*, inquit FABIVS, *num praepoſitiones ſonum quem iunctae efficiunt, an quem ſeparatae, obſeruare conueniat : vt cum dico obtinuit. Lib I, cap. VII*

(xx) *Frigidiora his alia*, ita QVINCTILIANVS effert, (dixerat autem antea de diuerſa ſcriptione τȢ *quum*,) *vt quicquid C quartam haberet, ne bis interrogare videremur. Lib. I, cap. VII.* MARIVS VICTORINVS hunc in modum praecipit: *Quicquam et quicquid et quocquod, prima ſyllaba quoties habuerit D id vos praecidite, et ſuperponite C.* Subiicit ſtatim rationem hanc, *quod duae partes orationis ſeparatae* relinquuntur, ſi D ſcripſeris. *Lib. I, cap. I, p. 1460.* Conf. VOSSIVS *Ariſt. Lib. I, cap. XLII, p. 151.*

(yy) At enim vero, *adque* etiam per D in LVCII Caeſaris Cenotaphio lin. 24 : apud GRVTERVM, *p. CCCCXII n. 3 et IV*; Theodoſiano in codice, et alibi habetur. Hac autem

te R in eandem transit, vt *arrideo*, ***arripio*** *:* (zz) ante S, vt *assideo*, *assoleo :* denique

tem scriptus apud veteres diuersitate, adducti quidam sunt, vt existimauerint: *atque* per T esse exaratum, quando coniunctio: per D autem, quando praepositio esset. Sed in STILICHONIS, quod Romae in area palatii de la Valle habetur monumento, legitur: IN OMNIBVS BELLIS ADQVE VICTORIS; et in alio eiusdem: SINGVLARI. EIVS. CIRCA. SE. AMORE. ADQVE. PROVIDENTIA. Vid. GRVT. L. C. Atque his in locis atque coniunctio quidem est, sed per D scripta. Itaque veterum exempla obseruationi huic minime respondent. Prouocare autem ad QVINCTILIANVM solent, qui, *Illa quoque seruata est a multis*, inquit, *differentia, vt ad cum esset praepositio, D literam; cum autem coniunctio T acciperet.* Iam vero taceut hoc, istum locum de cascis esse temporibus accipiendum, e quibus ad nos scriptiones paucissimae peruenerunt: ita enim pergit: *Verum haec iam, inter ipsas ineptias euanuerunt. Lib. I, cap. VII.* Itaque non praeter rem PIERIVS monet, diuersam vim τοῦ *atque*, non ex scriptura diuersa pendere. Vid. CHARISIVM, *Lib. II, p. 205.* et NORISIVM *Diss. IV. p. 435.*

(zz) Est autem *ar* etiam pro ad scriptum, quantumnis R litera non consequeretur. *Antiquissimi pro ad*, inquit, PRISCIANVS *frequentissime ar ponebant, aruenas, aruentores, aruocatos, arfines, aruolare, arfari dicentes, pro aduenas, cet. Lib. I, p. 559*

denique ante T, vt *attingo*, *attendo*. Cadit eadem litera nonnunquam, vt *agnatus* (a) pro adgnatus, *agnosco* pro adgnosco. idque frequentius a priscis ante S, quando eam alia consonans exiperet factum. Sed istud vsu est maximam partem edomitum, nisi vt in *aspiratio* probetur a multis.

V

G LITERA asona, *paullo post initium* sexti

(a) Sunt qui D non abiectum his in vocabulis, sed mutatum in G esse existiment. Mihi quidem aliter videri, iam alibi dixi. Sunt mihi caussae hae. Primo, quoniam *gnatus* est a generatus, generatus a Graeco γεννάω flexum: hinc *gnascor*: hinc *agnatus*. Neque obstat hoc, non *gnascor* hodie sed nascor dici: est enim G hac in voce per ἀφαίρεσιν exclusum. Vocis *agnosco* eadem est ratio: flexum enim a γνώσκω, per ἀναδίπλωσιν γινώσκω. Dein principibus etiam Grammaticis ea placet sententia, vt CORNELIVS FRONTO vocem *gnatus* probat, *Lib. de Differ. Vocum p. 2199*: PRISCIANVS, *Gnatus*, inquit, *per G et N scribendum est: sic vt gnauus, quia in compositione ipsa retinet G, vt agnatus ignauus* CASSIODOR. *p. 2319.* Idem DIOMEDES ex CAECILIO refert. Ipsa verba ita habe: *Gnoscit ait* CAECILIVS; *quoniam et praepositione addita, adgnosco et cognosco dicimus.* DIOMED. *Lib. I, p. 378*

fexti faeculi in vfum venit. (b) Atque iste honos SPVRIO est CARBILIO, (ita enim legendum in SCAVRI, (c) qui de hac

(b) Ita NORISIO, *Differt, IV, p. 476*, videtur. Atque cafcis quidem temporibus nemini eam fuiffe cognitam, lapides quidam literati, inprimis DVILII columna, loquuntur. DIOMEDES item, *G noua eft*, inquit, *confonans, in cuius locum C folebat apponi. Lib. II, p. 417 et 418.* AVSONIVS ita canit: *Praeualuit poftquam Gammae vice functa prius C*

(c) SCAVRI verba haec funt: *pro ea nota* (C literam innuit) *adiecta a* SPVRIO CARRVTIO, *noua forma G literae. p. 2253.* Huius, qui in mendo cubat loci, hanc effe genuinam lectionem, vt CARBILIVS reponas pro CARRVTIVS, ego quidem exiftimaui, his potiffimum inductus rationibus. Primo, quoniam PLVTARCHI in *Quaeftion. Roman.* (cap. XLIIII) legitur: Καὶ γὰρ τὸ Κ πρὸς τὸ Γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς. ὄψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα, καρβιλίου Σπορίου προσευρόντος. *Eft quaedam inter C et G literas cognatio: atque fero admodum G litera adhibita eft, cuius inuentio ad* SPVRIVM CARBILIVM *pertinet.* Dein, quia apud GELLIVM, idem eius qui hunc CARBILIVM manumifit nomen, reperitur. ait enim: SP. CARBILIVS, *cui* RVGA *cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cum vxore fecit. Lib. IV, cap. III, p. 94.* At enim vero, VOSSIVS, (Lib. I, cap. XXIX, p, 109,) CARBILIVS effe per V fcribendum contendit, idque ex eodem confirmare PLVTARCHI, quem attuli

hac re agit loco,) tribuendus; vt eam, inferiori literae C parte ſignando, effinxerit. fuit ille CARBILIVS, SPVRII CARBILII, qui primus dimiſiſſe vxorem ob ſterilitatem fertur, libertus. (d) Videtur autem hoc anſam quaerendae nouae formae, CARBILIO praebuiſſe; quum diuerſam eſſe literae C vim, et ſonum duplicem videret. quorum alter iſte, qui hodie G literae tribuitur, fuit. quod QVINCTILIANVS atque TERENTIANVS obſeruarunt. Itaque, vt ne in C efferenda laberetur; quoties vt G eſſet efferenda, prouide apicem in ima eius parte collocauit. Sonus literae

attuli, loco annititur. GELLII autem locus virum doctum praeteriit. Iam vero quum tantum abeſt, vt id inde deduci poſſit, vt potius lectio huius nominis per B, inde confirmetur: in eam incidi opinionem, VOSSIVM CARBILIVS per V legiſſe, quoniam in monumentis id nomen non ſemel occurrit, vt P. CARVILIVS ZOTICVS apud GRVT. *p. MCI, n. 5*: M. CARVILIVS. M. N. CRESCENS, *p. CCL*

(d) CARBILII diuortium A. GELLIVS, ad Ann. V. C. DXXIII, quo ATTILIVS et P. VALERIVS conſules fuere, refert. *Lib. IIII, cap. III, p. 95.* VOSSIO Ann. DXIX id accidiſſe videtur. qui etiam SP. CARBILIVM, literae G repertorem, *ludum habuiſſe Grammaticum Romae circa annum* DXL opinatur. *Ariſt.* l. c

literae G ita eſt comparatus, vt admota quidem propius ad palatum lingua; ſed interiecta tamen aliqua intercapedine, leni ſpiritu emittatur. (e) Itaque remiſſius aliquanto ſonat, quam C, ac E. (f) Pro diuerſa autem, qua haec litera animatur vocali, iam craſſius, vt in *gula:* iam remiſſius, vt in *genus*, ſonat. Iam vero, quod, quando V litera praeceſſerit, alius ſonus noſtros ad aures peruenit, quam ſi abſit: V literae videtur tribuendum eſſe. vtpote quae, hoc in poſitu vdum habet ſonum. (g) N literam quando praecedit G, ali-

(e) Conf. TERENTIANVM MAVRVM, p. 2402

(f) Ea res PETRO etiam RAMO cognita fuit. *G lingua*, inquit, *medium palatum et dentes vicinos premente, remiſſius ſonat, quam C et E*

(g) Itaque G ante V et A vel E non eſt ſpecie diuerſum: neque temere eius erit forma mutanda. quod ſane e re SCALIGERO eſſe videtur: dicit enim in hos qui VARRONIS a partibus ſtant. *Fatemur G aliud atque aliud eſſe, non minus quam ipſum V, cum ſequitur vel Q vel G, aut alias conſonantes.* quibus verbis probare id, quod ante dixerat, *conſultius quaerendam aliam figuram, ipſi G*, ſatagit. *Lib. I, de Cauſſ. L. L. cap. X, p. 25.* Eſt autem SCALIGER eo nomine a VOSSIO reprehenſus, *Lib I, cap. XVIII, p. 80.* Ceterum, tantum G et G, diuerſo in poſitu, differre, quantum C Longobardicum diſtet a Thuſcorum, SCALIGERO videtur

aliquid ex N literae ſono trahit, et ipſe ſonus miſtus quaſi ex G et N literis, efficitur, vt in *agnoſco*, *agnus*, *magnus*. Quam ob rem, Grammaticis in mentem venit, de noua quadam figura diſpicere, quae veluti hiatum inter N et G literas occluderet; et cui ea ſit poteſtas, quae N et G perperam ſubiicitur (h)

C PRO G ſcriptum eſſe antiquorum inſcriptionibus, non poteſt in ſe demutatio literae G dici: niſi id factum poſt G inven-

(h) Pertinent ea verba potiſſimum ad VOSSIVM: nam ille quum intellexit, ſonum literae G, N inſequente, talem eſſe, vt nec vnius literae; nec duplicis; nec ſeſqui etiam literae dici poſſit: ſuaſor exſtitit, vt in vaſtigio literae N lineola ducatur. quo vna figura duas referat literas, e quibus ſonus iſte, de quo agitur, mutuatus videtur eſſe. hunc in modum: Ν̄. Nec ineptum etiam exiſtimat fore; ſi qui in ima literae N parte, apicem, vt CARBILIVS in G fecit, collocarent. Addit autem VOSSIVS, vt eſt inprimis modeſtus: *Neque ſum* CLAVDIVS *Imperator, vt nouas me literarum figuras inducere poſſe exiſtimem. Lib. I, cap. XX, p. 68.* Sed miror qui factum fuerit, vt nemo, tanto auctore, priſtinum immutare morem audeat. quo probatur id, quod dolendum, nemini magnopere Literaturae emendationem curae eſſe cordique. Ceterum, quae hic deſiderantur in N literae pertractatione habentur

ventam fuerit: nam quantumuis ſcriptum eſt C; ita tamen fuit pronunciatum quemadmodum hodie G. quod MARII VICTORINI, (i) atque TERENTIANI MAVRI (k) teſtimoniis comprobatur. Itaque non niſi eiusmodi exempla demutationis G literae adferam, quae, ad tempora, quibus cognita ea fuit ſpectant. (l) Eſſe autem C pro G, etiam poſt natales G literae vſurpatum, Ogulniae gentis numo conſtat, in eo enim, OCVLNIVS, SPANHEMIO (m) notante, pro OGVLNIVS legitur. Eadem etiam lectio in aliquo apud ONVFRIVM monumento habetur, his in verbis: Q. OC. FAB. CONS, pro Q OGVLNIO, C FABIO conſulibus, (n) Praecipue autem iſtaec demutatio in CA-

(i) *Pag. 2469.* Ipſum locum infra excitabo

(k) *Pag. 2402.* Conf. QVINCTIL. *Lib. I, cap. VII*

(l) Quod ſi autem cui volupe ſit, noſſe exempla ex antiquiſſimis temporibus, quibus conſtet, C eſſe eo loco ſcriptum, quo G ponendum fuiſſet, DVILII adeat columnam, in qua legitur. D· EXEMET· LECIONES: mAXIMOSQVE· MACISTRATOS

(m) L. c. *Diſſ. II, p. 102*

(n) Conf. DAVSQVIVM, *Tom. I, p. 41.* Debuiſſe autem omnino hic G exarari, ex alio eius gentis numo, quem BEGERVS, *Theſ. Brand. Tom. II, p. 567* exhibet, intelligitur: eius enim haec eſt epigra-

CAIVS et CNEIVS praenominibus luculenter patet. Fuiſſe enim in his G ſcribendum, primo Notatio euincit: nam GAIVS eſt ἀπὸ τοῦ γαίειν; ſiue a *gaudio*, quod parentes a liberis percipiunt. quae etiam Notatio auctori libri *de Nominibus*, qui VALERIVS MAXIMVS eſſe fertur, placet. (o) CNEIVS autem vel CNEVS vel CNAEVS a genero eſt deductum. Dein, iſtud eo confirmatur, quod auctores Grammatici, C in CAIVS et CNEIVS, legi per G volunt. quin, totidem verbis affirmant, C hic G vice eſſe. Atque in his QVINCTILIANVS, qui GAIVS *C litera* ait *notari*, MARIVS VICTORINVS (p) atque TERENTIANVS MAVRVS (q) praecipui

 ſunt.

graphe, M. GAR. VER. OGVL. quam DVLODORVS hunc in modum interpretatur: M. CARISIVS VERGILIVS OGVLNIVS. ita vt G in GAR ſit pro C accipiendum: BEGERVS autem GARGILIVS legendum eſſe exiſtimat. quoniam iſtud etiam nomen in Mediceo numo ſub ANTONINO PIO, Philippopoli percuſſo, per G ſcriptum inueniatur

(o) Aliis γέα eſſe Etymon videtur

(p) *G et vſum praeſtitiſſe*, ita effert, *quod nunc* CAIVS, *per C, et* CNEIVS *per CN, quamuis vtriuſque ſyllabae ſonus G exprimat, ſcribuntur. Lib. I, p. 2469*

(q) In *Lib. de Syllabis, p. 1402*, hunc in modum canit:

G ta-

ſunt. Tandem nec exempla ſcriptionis per G deſunt, vt in CAII Caeſaris numo, G. CAESAR GERMANICVS deprehenditur. quod ſe in Capitolino etiam apud GRVTERVM lapide offert: apud quem CEMINA quoque pro gemina, AVCVSTALIS pro Auguſtalis ſcriptum exſtat: *Cermalus* pro Germalus, FESTVS; *ancras* ISIODORVS pro angras, legunt. (r) In praeteritis aut ſupinis in S ver-

G tamen ſonabit illic,
quando CNEVM
enuncio

Eadem *Pag.* ita pergit:

CAIVS *praenomen,*
proinde C notatur,
G ſonat

Refert etiam huc TERENTIANVS vocem *amurca*:

Sic amurcam, quae vetuſte ſaepe per C ſcribitur,
eſſe per G proferendam crediderunt plurimi, ibid.

cui etiam obſeruationi SERVII commentatio ad VIRG. *Lib. I, Georg. v. 194*, fidem conciliat. ait enim: *Amurca per C ſcribitur, per G pronunciatur, vt C.* GAIVS, *CN.* GNAEVS

(r) Vniuerſe autem de hoc argumento, ANTONIVS erit AVGVSTINVS, quem SPANHEMIVS laudat, in notis ad FLACCVM et FESTVM, *p. 15*, conferendus: vt et RADVLPHVS, *Lib. I, Rerum Quotid. cap. XV.* Nec non AVSONIVS POPMA, *Lib I de vſu antiq. loc. cap. III, p. 20.* Ceterum, G etiam litera in locum R ſuffecta eſt, vt *agger* pro anger. quod apud VICTORINVM eſt; et in *aggrego* pro argero

vertitur, vt *sparsi* ab spargo; *mersi* a mergo: item praeterita multa X pro S assumunt, vt *texi* abs tego, *lexi* a lego. in CT aliquando mutatur, vt *lectus* a legor, *actus* ab agor. Graecae dictiones, quae Latina sunt ciuitate donatae, Γ in N mutant, vt angelus ab ἄγγελος: interdum G abiicitur, vt norma a γνώρισμα. Apud Latinos, G in deductis subit C literae et formam et naturam, vt *pertica* a pertingo.

VI

VENTVM est ad I consonans. Id vero *quantum ad potestatem, quod maximum est in elementis, alia litera esse* quam I sonans *videtur.* (s) Itaque, ratione formae I consonum a vocali, nulla ex parte differt. Quare committendum non est, vt J forma pro consonanti; I autem pro vocali vtamur. Licet enim non negauerim, habere eam rem in se aliquid commodi: veterum tamen auctoritate, destituta est: nec fere ante saeculum XVII a quoquam figura J fuit adhibita. (t) Miror autem qui factum fue-

(s) Vid. PRISCIANVM, *Lib. I, p. 544*, vnde ista verba sumta a me sunt. item DIOMED. *Lib. II, p. 416*

(t) Nisi vt apud BARINGIVM exstet aliqua figura, quae ad eam propius accedit. Est autem haec: ℑ. quam A. R. S. 1310 scriptam fuisse testatur. Vid. *Clau. Diplomat. Tab. Alphab. III*

fuerit, vt CLAVDIVS Imperator nouam huic literae formam non quaesiuerit, quum tamen in V sonante, cuius eadem est ratio, id omnino molitus est. Iam SCALIGER est qui putet, distingui ab se has literas hunc in modum posse, vt I consonum linea transuerberaretur, vt Ɉ: neque id VOSSIVS etiam improbat. Quod si autem de necessitate esset alia figura I consonans donari, propius ad veterum instituta, me quidem iudice, accederet, quando quis I consonum, SPVRII CARBILII exemplo, apice notaret: Vel alterum, siue consonans; siue vocale educeret. Sed adeo mihi suffenus non sum, vt putem, posse me pristinum morem vlla ex parte mutare: quum id doctissimi homines incassum fuerint annisi. Poterat autem quaeri, quid tandem caussae Romanis fuerit, vt I consonans effinxerint, quum id Graeci ignorant. Videtur autem haec fuisse, quod ea ipsis cessit vocis aptitudo, vt tenui non modo diducere voces sono possent: sed statim etiam sonum subeuntem, pro ea gracilitate, exprimere ac reddere. Hinc I consonans Romanis magno vsui est: Graecis non item: illi enim hunc exilem sonum, non nisi hiatu quodam efformare possent. (v) In sono huius lite-

(v) IVL. CAES. SCALIGER, vtrumque confirmat

literae efformando, iisdem est organis, quibus in I vocali pronunciando, locus; vt nempe semicluso, impressis sensim linguae dentibus, ore emittatur. Differt ab I altera, eo, quod huius in vocali subsistit sonus: I autem vocalis literae non item. Atque hinc ratio repeti, ob quam in mutis sit collocanda, potest. Neque minus e cognatione cum I vocali intelligitur, non praeter rem ipsi esse Hebraicum nomen *iot* impositum. Tenuior autem ac gracilis admodum, vt iam eo vnde discessi redeam, eius sonus videtur esse tum, quando I vocali iungitur. Euenit quoque nonnunquam, vt sonus literae I ita efferatur, vt nec vocali ex asse; nec consonanti respondeat. Atque tum quidem bicorpoream eam esse quidam putant, cui media quaedam sit inter consonantem et vocalem natura. (x) cuius rei exemplum SCALIGER

 vo-

firmat: *Latini*, inquit, *paruo posito momento ob soni gracilitatem facillime in subeuntem proximam transiliere, vt non penitus abesset a sono ipsius G.* Atque in antecedentibus: *Quod* (vt I in consonantibus haberent) *iccirco a Graecis factum non est, quia longiore semper tractu vterentur in pronunciando, ipsoque in hiatu consisterent. Lib. I de Causs. L. L. cap. IX, p.* 21

(x) *Inuenias etiam*, ita SCALIGER fatur, *quum* (Literae I) *media quasi quadam sit inter consonantem, et vocalem.* l. c. *cap. XII, p. 33*

vocem *ſtellio* eſſe vult: nam ſi iſtud quod hac in voce occurrit I, vocale eſſe dixeris, obſtare videtur hoc; ei non eſſe ſonum acutum atque articulatum, qui eſſe vocali literae debebat: iam ſi mutam eandem exiſtimaueris eſſe; vereor vt probare id etiam poſſis: quum nulla vocalis adeſt, qua ſonus mutae excipiatur. Idem quoque difficultatis, *oppreſſio*, *beneficium*, *iniuria*, aliaeque voces habent. *De* POMPEI etiam, VVLTEI *et* CAI, *et ſimilibus vocatiuis, quae I loco conſonantis ante VS habent in nominatiuo, dubitatur, vtrum I extrema pro vocali, an pro conſonante ſit accipiendum.* Atque PRISCIANO, qui hanc propoſuit quaeſtionem, *magis more antiquorum rationabilius eſſe videtur*, vt pro conſona accipiatur. quod veteres *etiam in fine ſyllabae, ponere I loco conſonantis* conſueuerunt. (y) Nonnulli etiam Grammatici (z) ſciſcunt, I

(y) Subiicit deinde etiam rationem hanc: quia POMPEIVS et VVLTEIVS, *ſi triſyllaba ſint in nominatiuo, neceſſario in vocatiuo diſſyllaba eſſe debeant. Lib VII, p 740*

(z) PRISCIANVS ex inſtituto de ea re egit. *Et I quidem*, inquit, *modo pro ſimplici modo pro duplici accipitur conſonante. Pro ſimplici, quando ab eo incipit ſyllaba in principio dictionis. Pro duplici*, ita paucis interiectis pergit, *quando in medio dictionis ab eo incipit ſyllaba, poſt*

I duplicem literam esse, quando mediis est in vocalibus constituta. Qua in re facile non est verum videre. Mea quidem sententia haec est: eam quaestionem, si ita accipiatur, vt excutiendum sit: vtrum duplex hoc in positu sit consonans nec ne, negandam esse per omnem modum: affirmandam autem eam, si in quaestione sit: vtrum veteres hoc in loco, duplex II consonans, quorum alterum ad antecedentem: alterum ad consequentem conceptionem referendum, posuerint. Atque eo potissimum respexisse PRISCIANVM, inde potest colligi, quod ipse asseuerat, *antiquos* in *maius*, *peius*, *eius*, *geminare eandem I literam* solitos fuisse. (aa) Ceterum

cauen-

post vocalem ante se positam, subsequente quoque vocali in eadem syllaba, vt maius, peius, eius. Lib. I, p. 545. MARIVS VICTORINVS idem sentit

(aa) Loc. c, *p. 545.* Ea autem ratione lites poterunt inter VOSSIVM et SCALIGERVM componi. Nempe VOSSIVS, *Lib. I, cap. XXII, p. 94*, duplicem esse literam I negat atque pernegat; nempe in se consideratam: contra ea autem SCALIGER contendit eam duplicem esse eo nomine, quod a priscis est geminata, et in voce *reiice* pro geminata in versu accipiatur. Atque ea in re A. GELLIVS cum SCALIGERO consentit. De voce enim *iacio* atque aliis, hunc in modum verba facit: *Secunda litera in his verbis per duo,*

cauendum, vt ne I consonans pro vocali habeas (bb)

IN mutationibus I consonantis, nihil fere notandum, praeterquam hoc vnum, ei proprium quasi esse, vt naturam vocalis induat iterum, et nouam quandam syllabam condat (cc).

VII

K LITERA Graeca, cum C eandem plane vim et sonum etiam eundem, PRISCIANO (dd) iudice, habet: *luxus* (ee)

duo, II, non per vnum scribenda est. Deinde affirmat etiam, hanc duplicationem *priorem syllabam breuem esse non pati. Lib. IV, cap. 17.* Itaque omnis res eo redit, vt diuersum quid esse sentias: aliquam literam interdum pro geminata accipi; atque literam duplicium in ordine esse

(bb) *Igitur non solum,* ita ait SCALIGER, *cum incipiet ab I sylla-ba, vt dixere consonans erit: sed etiam quod omisere, cum terminabit, esse possit. Quin, etiam sequente consonante, vt in pronomine huic. Lib. I, cap. XII, p. 32.*

(cc) SCALIGER id his verbis confirmat: *Proprium autem est ipsius I, consonantis, in pristinam vocalis formam redigi: et augere numerum syllabarum:* MARTIALIS *versus est:*

Sed norunt cui seruiant, leones.

Namque I in *cui* alias consonum est. Vid. *L. I, de C. LL. cap. XII, p. 33*

(dd) De K, C et Q literis

(ee) autem et oſtentationis cauſſa ciuitate apud Latinos eſt donata. Salluſtium vero nomen ei fuiſſe, qui primus hanc literam ad Latinos tranſtulerit, ISIDORVS (ff) prodidit memoriae. qui tamen non eſt cum CRISPO illo SALLVSTIO, minime ſordido Romanarum hiſtoriarum auctore, confundendus. Sunt autem quidam, qui non ſolum ſuperuacaneam literam K eſſe, quod non nego, ſed notam (gg) vnice contendant; aut negent literis eam Latinis eſſe annu-

teris ait, eas, *quantumuis figura et nomine videantur aliquam habere differentiam, cum C tamen* (K) *eandem, tam in ſono vocum, quam in metro poteſtatem continere. Lib. I, pag. 543.* Atque huc etiam TERENTIANI MAVRI de hac re ſententia redit. Negare autem non poſſum, de Q litera mihi quidem aliter videri. de quo ſuo loco

(ee) Pertinet hoc ad LIPSII literae K definitionem. qui, *K litera*, inquit, *Graecanica mera eſt, et in Latium venit non ob vſum, ſed ob luxum. Dial. de Pron. L. L. cap. XIII, p. 42*

(ff) Verba ipſius ita habe: *K literam* SALLVSTIVS *ludimagiſter poſtea Latinis adiecit, vt in ſono diſcrimen duarum literarum faceret C et Q. Lib. I, Orig. cap 22:* PETRVS DIACONVS, SALVIVM eum vocat. Vereor autem, vt iſta ratio idonea ſit atque ſufficiens: quum antea oſtenſum fuit, eundem eſſe C et K literarum ſonum; quare etiam C ab SVIDA, Ρωμαικὸν κάππα dicitur

(gg) Iſtud intelligitur ex VELII LONGI verbis

annumerandam. quae VARRONIS eſt et MACRI (hh) cuiuſdam ſententia. Id autem praeter rem dictum eſſe, variis poteſt in exemplis oſtendi: nam LICINII in monumento, quod in antiquiſſimis monumentis docti homines habent, deprehenditur, his in verbis: D. XIII. K. MART. (ii) Porro in faſtis Capitolinis legitur, Q. FABIVS. M. F. K. N. VIBVLANVS, pro QVINTVS FABIVS, MARCI filius, KAISONIS (kk) nepos. LIPSIVS Tyburti,

bis his: *Qui K expellunt, notam dicunt eſſe magis quam literam, qua ſignificamus kalumniam.* cet. *Lib. de Orth. p. 1218*

(hh) *Auctoritas tam* VARRONIS, inquit PRISCIANVS, *quam* MACRI, *teſte* CENSORINO, *nec K, neque Q, neque H in numero adhibet literarum. Lib. I, p. 544*

(ii) Vid. NORISIVS, *Diſſert. III, cap. IV, p. 384.* Sed quantumuis dem, magnae id antiquitatis eſſe: nolim tamen ad A. V. 271, iſtud monumentum referri: ita enim DVILII columnam, quam omnium eſſe antiquiſſimam dixi, ducentis annis et quod excedit anteiret. Ipſa etiam ſcriptio, huius monumenti, inferiori id aeuo, quam DVILII eſſe caelatum, prodit. Immo ſi ad A. V. 271 pertineret, AE in eo ſcriptum non eſſet: nam ea aetate AI more Graeco pro AE eſſe adhibitum, ex ENNIO intelligitur

(kk) KAISO diuerſum eſt a CAIO praenomen, Graecis Καίσων, quod DYONISIVS atque DIODORVS SICVLVS habent. Recentiori aetate KAESO praetulerunt Romani

burti, quadam in inſcriptione legit, SVB AEDE KASTORVS: in CARI Imperatoris, quem SPANHEMIVS in gaza Gallorum Regis inſpexit numo, haec eſt epigraphe: IMP. C. M. AVR. KARO: in alio eiuſdem, KARINVS: MVTIAE numus KALENVS habet, et DECII, HERENNIIque numi, KAPITOLINA per K praeferunt. (ll) quibus exemplis non modo euincitur id, quod in quaeſtione erat, K eſſe in literis ab Romanis habitum; ſed poteſt inde etiam diuinari, eo circiter tempore, quo bella Punica geſta ſunt, hanc eſſe literam, in Romanorum literas accitam. Poteſt inſuper, K vtique literam Latinam eſſe, eo etiam confirmari, quod AVSONIVS, PRISCIANVS, DIOMEDES, QVINCTILIANVS, CAPELLA, SCAVRVS, cum aliis, eam in literis Romanis habuerunt. Iam memini me ante dicere, ſonum huic literae eundem cum C litera eſſe. quod non ita eſt accipiendum, quaſi ſonus vtriuſque literae dignoſci nullo modo poſſit,

(ll) In monumentis etiam legitur: DEDIKAVERVNT, EVOKATVS, KASIBVS, KASTRA, KARCER, KOS. In CICERONIS codicibus, KARDO, KANNA, PARKARVM: MERKATOR in Valeriano numo: veteres apud Grammaticos *kaleo*, KATO, *Kamenae*, habentur. Vid. DAVSQVIVM, l. c, *p.* 27

ſit, ſi ſeparatim quamque efferas: ſed id, tum vnice valet, quando K indita vocabulo, aliiſue literis iuncta eſt. Itaque ſi K literae ſonum ſeparatim ſpectes, faucibus palatoque formatur: in C vero litera efferenda, dentes inſuper molares linguae admouentur. quod in K ſecus eſt, nam eius ſonus in A vocale ſubſiſtit: C literae in E. Ante autem quam de huius literae demutationibus exponam: quo in loco hodie iuſtum habeat poſitum, et quo non diſpiciendum. Probatiſſimus quiſque in Grammaticis, rariſſime eam literam ſcribi vult, vt QVINCTILIANVS, qui *K nullis in verbis vtendum* putat, *niſi quae ſignificet etiam, vt ſola ponatur*. Nempe *Kalendas* innuit, *kaput* et KAESONES. quae vocabula per K exaranda eſſe TERENTIANVS MAVRVS (mm) opinatur. quod etiam CAPELLA (nn) cen-

(mm) *Lib. de Syllab.* *p. 2400* ita canit:

K ſimiliter otioſa ceteris ſermonibus,
Tunc in vſu eſt, cum Kalendas annotamus aut kaput
Saepe KAESONES *notabant hac vetuſta litera.*

Conf. SCAVRVM p. 1252

(nn) *K nunc nota eſſe,* inquit, *putatur, nunc litera. nam eius effectus C integrare non dubium eſt: abſque his kapita, Kalendae, kalumniae.* In *Satyrico de Nupt. Philol.* et MERC. *p. 57.* Legit autem LIPSIVS, *non litera*, pro *nunc litera.* Conf. VOSS. l. c. *cap. XVII, p. 78*

censet; nisi vt pro KAESO, vocem *kalumnia* ponat. Atque istae etiam voces omnes per K solitarium notatae, sparsim in monumentis adsunt. praecipue FABIORVM praenomen KAESO. Est etiam K prima litera in voce *kalumnia* fronti calumniatorum inussa. (oo) Alii e Grammaticorum grege, K literam esse adhibendam, quoties A subiungenda sit, praeceperunt. Idque ob hanc potissimum caussam, quia, si A scriptionis in compendio omittatur, statim intelligi eam deesse possit. Siquidem in A litera K quiescit, vt C in E. Atque cascis quidem temporibus obseruatum id fuisse, exemplis supra commemoratis videre est: (pp) sed hodie id minime valet; *quum sit*

(oo) Describit eam rem CICERO his in verbis: *Sed si ego hos bene noui, literam illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam eas omneis oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* quo tamen in loco TVRNEBVS, dici de C litera existimat. *Lib. VIII, Aduers. cap.* 22

(pp) Potest id ipsum SCAVRI etiam verbis comprobari. ait enim: *Hac tamen* (K litera) *antiqui in connexione syllabarum ibi tantum vtebantur, vbi A litera subiungenda erat. p.* 2253. Item M. VALERII PROBI eius rei testificatio suppetit: *K litera,* inquit, *non scribitur, nisi ante, A, literam in principiis nominum vel verborum consequentis syllabae. p.* 1486 *et* 1487

ſit C litera, teſte QVINCTILIANO *quae ad omnes vocales vim ſuam perferat.* Quodſi autem definiendum, quibus tandem in vocibus hodie K litera adhibenda ſit: mihi quidem videtur triſtibus atque celeribus in *Kalendis*, commode eam vſurpari. quum BEDA (qq) id etiam probat, et Grammatici reliqui fere omnes. Porro in KAESO: in PALIKANVS, quod in Lolliae gentis numo legitur, aliiſque quibuſdam in nominibus propriis. Tandem in *Kartago* etiam ſcribi ſine vitio, BEDA auctore, poterit: quae etiam ſcriptio SEVERI, GALERII et CARACALLAE in numis reperitur.

FIGVRA ϙ, ſiue Coph, pro K ſcripta apud Graecos in Corinthiorum numis exſtat, vt in aliquo quem SPANHEMIVS exhibet, legitur ΣΥΡΑϙΟΣΙΟΣ: in alio apud eundem, ϙΡΟΤ: in tertio, Ο Ϙ ϙ. In deductis autem a Graecis tranſit in C, quod per ſe patet: item in Q, vt in quatuor a κάτερα pro καὶ ἕτερα

VIII

(qq) *Pag.* 2338. Nec obſtat deduci iſtud vocabulum ab obſoleto *calare:* nam id ipſum etiam per K olim ſcriptum. Graece eſt καλεῖν. Sed non in omnibus deductis a Graecis id conſectandum, quoniam, priſci etiam in his C litera vſi fuere, vt *colaphus*, *comoedia*, *cygnus*, CLIO, cet

VIII

P LITERAM, e Graecis esse petitam, constat: sed vtrum sit a Δ, an vero a figura Ͳ desumta; id vero res infecta est. Atque Δ quidem DIONYSIVS Halicarnassensis, se sub aede Velia, in deorum Penatium signis vidisse refert. quibus inscriptum fuerit, ΔENAS pro PENAS. (rr) Itaque si exploratum hoc est, inde P literae forma exsculpi hunc in modum potuit, vt recta linea longius diduceretur. Sed magis se altera illa sententia commendat. qua Ͳ Graecanicum ἀρχέτυπον P literae perhibetur esse: ea enim figura, Graecis in numis saepiuscule se offert, vt in BEGERI *Thesauro Brandenburgico*, in aliis numis est hic, cui inscriptum, ΛΑΓͲΙΘΩΝ: in Syracusanorum item, ΛΕΥΚΑΣͲΙΣ. cuius etiam scriptionis multo plurima apud GOLTZIVM exempla praesto sunt. Quid, quod ea etiam figura apud Romanos obtinuit; vti e PESCENNII apud MORELLIVM numo apparet, in quo vox TROͲEVM occurrit: item AGNETHLERVS, Schulziano e numophylacio POMPEII numum

(rr) Vid. VOSS. *Lib. I, cap. XXIX, p. 110 et 111*

mum exhibet, cui inſcriptum: Q· ꟼOM· RVF· ꟼ: addit POSTVMII in quo, HISꟼAN, vt et ꟼOSTA· F. Atque nullus dubito cum RVHE ita ſtatuere, hanc figuram, vt reliqui Graecanici in literis ductus, ad Syllana vſque tempora, ab Romanis adhibitam fuiſſe. Eſt autem angulus conſequente aetate, ſiue id, ob ornatum ſcriptioni conciliandum; ſiue ταχυγραφίας ergo factum fuerit, reductus in lunatam formam. quae quidem linea incurua ordinarie non niſi ad dimidiam lineae rectae partem pertigit: PHILIPPORVM autem aetate totam fere lineam occupauit. quod etiam in R litera notaui. (ſſ) Sonus huius literae, cum eo fere qui B proprius eſt coincidit; niſi, vt maiori niſu atque contentione efferatur, quam B. Itaque P, labiis cum ſpiritu adductis pariter et diductis exprimitur. Hinc autem, quod non niſi preſſis arcte ac clauſis labris efferri poſſit; Poetae eius repetitione aliquam

(ſſ) Exemplum eſt apud MORELLIVM in PHILIPPI Arabis numo. qui habet: VICTORIA CARPICA: Atque ea forma inſolita deceptus eſt OCCO, notante RVHE, *(Spec. I, p. 25.)* vt CARDICA legerit. Ceterum HIERONYMVS, atque VOSSIVS obſeruarunt, Hebraeis nullam eſſe literam, quae P literae reſpondeat: פ enim eſt PH, ni dageſch eam literam notaueris

quam compreſſionem, et temporis continuationem indicarunt. (tt) Praeter haec ad violentiam etiam exprimendam facit (vv)

REDVNDAT haec litera non raro, vt in aliquo kalendarii apud FVLVIVM VRSINVM fruſto, vbi legitur, HIEMPS. EX. X. K. NOV. IN. XIIII. K. FEBRVAR. DIES. Potiſſimum autem eam inter M et S, in praeteritis inſeri, et qua id probandum ſit, infra eſt a me dictum. Inuenitur B pro P exaratum, Albae Iuliae in inſcriptione, quam DAVSQVIVS exſcripſit. Eſt autem haec:

GENIO
TIB. CLAVDIVS
MANSVETVS
OBTIO

Ita BOBLICOLA olim pro POBLICOLA vel potius PVBLICOLA, eſt enim a popu-

 lo

(tt) Vt in illo VIRGILII:

- - - *Ille patris magni parere parabat*
Imperio - - -

(vv.) STATIVS CAECILIVS, id non ignorauit: canit enim in hunc modum:

- - - *Aut per ſeruolum*
Percutias pauidum, poſtremo a parco patre
Quod ſumas, quanto diſſipas lubentius.

lo colendo deductum nomen, scriptum fuit. SCAVRVS auctor

VIIII

T LITERAM asonam, ob cognationem cum litera D, D *mollitum* vocant. Alio nomine litera *superstitem designans* (xx) dicitur. cuius denominationis ratio, casco quodam aqud Romanos ritu continetur: quo milites qui sospites e praelio discessissent, T litera in breuiculis notabantur. Praeter haec *nigra* etiam est, *mortifera* atque *mortualis* conuocata. quod ob hanc caussam videtur factum fuisse, quoniam Graeca litera Θ, quae Latine per T atque H redditur, defunctum in monumentis designat, vt Romae in AQVINATIS Episcopi domo:

Θ CN.

(xx) Descripsit eum ritum ISIDORVS his verbis: *In breuiculis militum nomina continebantur, T nota in capite versiculi, superstitem designare solebant. Lib. I Origin. cap. XXIV.* Multa excipit LIPSIVS, quae arguunt, se praeterire quid T significet: nempe V scribi hoc ISIDORI in loco vult, pro T. Est autem per T vox τηρεῖν, teste RVTGERSIO (*Lib. V, Var. Lect., cap. XVII*) indigitata. RVFINVS quoque atque PAVLLVS DIACONVS ISIDORI sententiae subscribunt

Θ CN. OGVLNIVS. CN. L
NICEPHORVS (yy)

AVSONIVS vero inde eam literam id nominis traxisse putat, quod in damnandi notis fuerit. Tandem LVCIANO ita eam insignitam, quod crucis refert formam, placet. Neque id alienum a vero esse dixerim; quoniam non vnam fuisse crucis apud antiquos formam, satis constat. Figura huius literae vna subinde atque eadem fuit: nec quidquam peculiare habet, nisi vt frequentius quam aliae literae, sit educta, vt apud BOISSARDVM in verbis, C. FONTEIO PITONE COS; et alio loco, CONLOCAVIT. Est autem haec litera ita efferenda, vt lingua superos

(yy) Eodem in monumento istud Θ, O, inscriptum conspicitur, hunc in modum: Θ-GVLNIA. Occurrit idem Θ Graecum, in alio etiam ad Marianum templum monumento, quod LIPSIVS, vna cum inscriptione, quae in aedibus FRANC. PORCARI est, adducit. *Dial. cap. XIV, p. 46.* Potest insuper ea etiam res ISIDORI verbis confirmari: *nam Θ vero*, inquit, *ad vnius cuiusque defuncti* (militis) *nomen solet apponi.* l. c. Significat autem Θ θάνατον. Ceterum Brettae Hungariae, O et OE pro Θ, id est defunctis, sunt repositae

peros dentes premat. (zz) Venit insuper notandum, genuinum hunc literae T sonum, quoddam, antecedentibus N et L literis, detrimentum capere: emolliunt enim literae T sonum et quasi suspendunt, siquidem in illis efferendis lingua est palato admouenda. quare non potest statim ad dentes apelli. Exempli esse vice nomina ANTONINVS ac *altus* possunt. Succedaneis autem IA, IAE, IE, II, IO, atque IV (a) literis, ita fere solet efferri, ac si Z esset, vt in *praestantia*, *gratiae*, *crassities*, *petii*, *deglutio*, *quatiundus*. Poterat videri, primo hanc sonus in litera T di-

(zz) SCALIGER ita effert: Literae T *sonus fit appulsa lingua ad radices dentium superiorum. Lib. I, cap. XI, p. 30*

(a) Vocabula, in quibus suus literae T sonus sit afferendus, licet literae quas nominaui praecedant, haec fere sunt: I) *litium* et *vitium*, genitiui a lis et uitis, vt dignosci a *licium* (die Trümmer der Weber) et *vitium*, nominatiuis possint: II) peregrinae originis nomina, vt MILTIADES, CRITIAS, POLITIA: III) infinitiui paragogici, vt *quatier*; IV) voces, quibus S, T literam praecedit. quod etiam PAPIRIO obseruatum: *Item T non sonat Z*, inquit, *cum syllabam ti antecedit litera S, vt iustius, castius*, adde *gurgustium*: V) in principio dictionis quando occurrit TI, sonus non mutatur, vt *tiura*: VI) nec quando T, H assumit, vt MATTHIAS

diuerſitatem, eo conſilio eſſe receptam, quo eo commodius ab ſe inuicem diſcerni diuerſorum nominum caſus, iiſdem literis conſtantes poſſint, vt *vitium* (das Laſter,) *vitium* (derer Weinſtöcke,) a vitis. Id vero quantumuis ſpeciem prae ſe vſus magni ferat; nihilo tamen ſecius in vitiis eſt orationis reponendum. Nec poſſem aliter de eo argumento ſtatuere; ſi etiam probatum fuerit, ipſum CICERONEM, (b) ea eſſe re delectatum

(b) Nempe loquela Graeca ἄξιος ad nomen ACTIVS CICERO alludit. vnde nonnulli, teſte LIPSIO, colligunt: ſpurium literae T ante I ſonum CICERONIS iam aeuo obtinuiſſe: id enim ni ita eſſet, nullam iam eſſe vtriuſque vocis in ſono conuenientiam. Sed audi mihi LIPSIVM qui, *Alluſio*, inquit, *fuit, ſed in propinquo ſono non eodem.* l. c, *cap. XIIII, p. 45.* Praecipue PAPIRII cuiuſdam fragmentum, hic in cenſum venit. quod ita habe: *Iuſtitia cum ſcribitur, tertia ſyllaba ſic ſonat, quaſi conſtet ex tribus literis T, Z et I. cum habeat duas T et I. Sed notandum, quia in his ſyllabis ſonus iſte literae Z inueniri tantum poteſt, quae conſtant T, et I, et eas ſequitur vocalis quaelibet: vt* TATIVS, *otia, iuſtitia et talia.* cet. Quoniam vero, quis ſit ille PAPIRIVS et quo tempore vixerit, obſcuritate eſt obuolutum: non multum huic teſtimonio videtur tribuendum eſſe. Quin, adeo male LIPSIO audit, vt ſacrum eum eſſe inteſtabilemque velit. *Cui ipſi*

EXSVPERAT T litera, quibusdam in lapidibus vt in marmorea viae Appiae tabula, INTROIT. AVT. IITTER. IMMVTARE: in tabella, ad ANTONINI columnam, OBITORVNT. C cedit item in ET, vt EFVLCINIAE pro et FVLCINIAE. quae scriptio GRVTERI est in inscriptionibus. C est pro T, Florentinis in Pandectis scriptum, in SOLACIVM, MVCIANA. D pro T, vt Romae in domo CAROLI ASTALTI, VT. QVODANNIS. VITVLVS. IMMOLETVR: eadem in vrbe tabulae, apud HORATIVM VALLAEVM, inscriptum est; TROFILIB ED SIBI. in qua ET etiam per T occurrit: Tarracone, ad D. ANNAE, *adque* pro atque habetur. Verba haec sunt: PIO ADQVE INCLITO DN CONSTANTIO.

Istam

ipsi vtinam, inquit, *lumbi et renes diu fracti.* Qua in re LIPSIVS mihi videtur Grammaticum agere, qualis LAVR. VALLA fuit. quem isto Epigrammate perstrinxerunt:

Postquam nunc manes defunctus VALLA *petiuit*
Non audet PLVTO *verba latina loqui.*
IVPITER *hunc caeli dignatus sede fuisset,*
Censorem linguae sed timet esse suae.

Ceterum SCIOPPIVS, recentiori demum aetate, hanc sonus in litera T differentiam fuisse exclusam, docet. *Gramm. Phil. p.* 28.

Iſtam autem ſcriptionem, quocunque nomine adhibeatur, falſam eſſe, alibi monui. *Caput* pro caput, in vetuſtioribus VIRGILII codicibus legi, DAVSQVIVS obſeruauit: *aud* pro aut, SCALIGER ob mollem ſonum probat (c) Vocum in flexione, praecedente C, in duplicem literam X conuertitur, vt *flexi* a flecto: in S, vt *concuſſus* a concutio. In fine loquelae omnis eſt mutationis expers, vt *caput*, *ſinciput*, *occiput*. Graecum T in S vertitur, vt oſſa ab ὀςᾶ, Theſſalia a Θεττάλια. Latinum T in deductis tranſit in D, vt *quadra* abs quatuor (d)

X

V LITERA conſonans eſt, quoties *vocalibus applicatur*. (e) Atque hoc in poſitu, tum *va* dicitur. quod CORNVTVS, (f) TERENTII VARRONIS teſtimonio con-

(c) *Haud*, alii per D, per T alii, ſcribunt: mihi placet per T exarare: Graece enim eſt αὖτε. In monumentis autem HAVD et HAVT alternant. Vid. SCALIG. l. c. *cap. XXII*, *p. 53*

(d) Poterat etiam videri, T in R mutari, in *parricida* a patre: ſed ex SCALIGERI ſententia iſtud nomen, a parente flexum eſt

(e) Vid. DIOMEDES *Lib. I*, *p. 416*

(f) Eius verba hunc in modum refert: *Hanc literam*, (quam digamma

confirmat: tum *vau*, vt PRISCIANVS (g) et MARIVS VICTORINVS (h) referunt. Praeter haec βαῦ etiam eam dici, idem VICTORINVS (i) affirmat. quo in loco VOSSIVS (k) Fαῦ legi mauult. Tandem autem *digamma* est, vel *digammos*, *eo quod character eius duabus gammis fit*, conuocatum. de quo statim dicam. Tempus

ma dicunt,) TERENTIVS VARRO *dum vult demonstrare, ita perscribit, VA. qui ergo in hac syllaba sonus est idem literae erit.* Apud CASSIODORVM, *cap. I, p. 2282.* LIPSIVS corrigit VVA, geminata litera. l. c. *cap. XII, p. 40*

(g) *V loco consonantis*, inquit, *posita, eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeoles digamma* F. *Vnde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeoles habuit olim F digamma, id est vau, ab ipsius voce profectum, teste* VARRONE et DIDYMO, *qui id ei nomen ostendunt esse. Lib. I, p. 546*

(h) *F nostri vau*, inquit, *vocant, et alii digamma. Lib. I, p. 2461.* LIPSIVS hoc etiam in loco VVAV legendum esse sciscit. VOSSIVS apud TERENTIVM SCAVRVM, qui item *vau* scribit, suspicatur codices fallere, meliusque legi VA opinatur. l, c. *p. 71*

(i) *F Aeolis*, ita effert, *dumtaxat idem valet, quod apud nos V, cum pro consonanti scribitur, vocaturque βαῦ, et digamma.* l. c. *p. 2468*

(k) *Quo in loco*, inquit, *pro βαῦ lubens scriberem* Fαῦ. *Quippe literarum omnium potestatem ac figuram cognoscere est ex principe nominis litera.* l. c. *p. 71*

pus, quo primum V in ſonantem literam degenerauerit, definire non auſim. Fuiſſe autem eam, poſt natum QVINCTILIANVM in aſonis reputatam, inde poteſt colligi, quod ipſe commemorat, *ſuos praeceptores ceruom ſeruomque, V et O literis ſcripſiſſe, quia ſubiecta ſibi vocalis in vnum ſonum coaleſcere et confundi nequiret.* (l) Figura ipſi eadem quae V vocali et fuit olim; et nunc eſt. Sed CLAVDIVS Caeſar, Literaturae aſſertor, aliam excluſit figuram, nempe hanc: Ⅎ. quae etiam aliquamdiu vſu fuit recepta. Ipſum vero CLAVDIVM omnino huius formae auctorem eſſe, partim inde poteſt demonſtrari, quo-

(l) Addit, *nunc V gemina ſcribuntur. Lib. I, cap. VII.* Clarius adhuc SCAVRVS ea de re exponit: *Equom et ſeruom antiqui per V O,* inquit, *ſcripſerunt; quoniam ſciuerunt vocalem non poſſe geminari, credebantque et hanc literam geminatam vtroque loco in ſua poteſtate ſeruari, ignorantes, eam praepoſitam vocali, conſonantis loco, fungi. p.* 2252. NORISIO ita videtur; *Veteres ex modo literam V pronunciandi, intuliſſe non poſſe eam geminari, quin ſyllaba augeretur, ita vt vox ſeruus hanc pronunciationem exigeret ſer-uus quod ineptum iudicabant.* Ceterum non videntur longe abeſſe a vero hi, qui, AVGVSTO faſces imperii tenente, V in conſonis literis receptum eſſe, contendunt

quoniam TACITVS (m) atque SVETONIVS (n) vniuerse CLAVDIVM eo nomine efferunt laudibus, quod nouas commentus sit literas tres; partim quia PRISCIANVS, (o) Caesarem dicit literam *uau*, Ⅎ scribi voluisse. Porro, id e numo, qui in memoriam victoriae CLAVDII, a Britannis reportatae cusus est, intelligitur. atque in eo figura Ⅎ praegrandis conspicitur, cuius e linea recta palmae racemus exsurgit; et literis ad dextram collocatis imminet. In vtraque huius figurae parte conspiciuntur literae hae, quae consequuntur: IO SAT IO, siue IO SATVRNIA IO. (p) Monumentum CLAVDII,

-iux

(m) *Lib. II, Annal. cap. XIII*

(n) In CLAVDIO *cap. XLI*

(o) *Lib. I, p. 545.* VELIVS etiam CLAVDIVM huius literae auctorem facit. Vid. QVINCTILIANVM, *Lib. I, cap. VII*

(p) P. SEQVINVS, quem laudat SPANHEMIVS, *Diss. II, p. 109*, primus hunc numum exhibuit, eumque aliqua est commentatione prosequutus, Lib. XII, cap. X. Atque ille auctor est epigraphen ad libertum NARCISSVM pertinere. Cui verba ex tribunali facienti, milites per contemtum acclamarunt: IO SATVRNIA IO! quae solemnis est, quam in Saturnalibus adhibuere formula. Conf. RVHE *Spec. I, p. 43*

iuxta campum FLORAE conſtitutum, in quo digamma bis poſitum eſt, ita habe:

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAℲIT. TERMINAℲITQ

In alio CLAVDII monumento, quod Romae apud ſtatuarium marmorarium exſtat. tribus digamma in vocibus conſpicitur. nempe in SERℲILIAI, AℲIOL; ℲISV. Addi his aliud poteſt; quod Romae eſt Ann. cIↄIↄLXII repertum, in quo legitur:

OCTA-

OCTAℲIAI
CLAVDII
CAISARIS
AVGVSTI P. P (q)

Quum itaque de auctore conſtat; qua de cauſſa CLAVDIus, aliam literae V quaerendi formam, conſilium inierit, videndum. Atque SVETONIVS quidem, CLAVDIVM literas tres *quaſi maxime neceſſarias addidiſſe* affirmat. quod de Ⅎ etiam valet. Caeſar enim animaduertit, paucos eſſe, qui, quid V vocale et conſonum interſit, intelligerent penitus ac perſpicerent. Porro, nec hoc praetermittendum, vnde eam formam Caeſar deſumſerit. Sunt autem Aeoles, a quibus digamma iſtud mutuatum fuerit. Sed inuertere iſtud

e re

(q) Haec exempla, CLAVDIO potiſſimum Caeſare, hanc literam fuiſſe adhibitam arguunt, atque confirmant hoc, quod ante eſt demonſtratum, CLAVDIVM eam in Alphabetum Romanum retuliſſe. Sunt et alia marmora, quibus ea litera pro V conſonante exſcripta eſt, vt Praeneſte, aliquo in fragmento, DIℲI. AVG. NERONI: in fragmentis inſcriptionum fratrum Arualium apud FVLVIVM VRSINVM, videre eſt, ℲITELLIVS. ſi plura deſideres, videſis GRVTERVM *p. DCCCXVI, n. 8.* REINESIVM, *Claſſ. III, n. 80*, item, *Claſſ. VIII, n. 5*

e re eſt CLAVDIO Caeſari viſum, quo eo poſſet commodius a litera F diſcerni. Quantumuis vero PRISCIANVS (r) atque DONATVS docent, ita inter ſe Aeolicum digamma, atque V conſonans conuenire; vt vna vtrinque poteſtas, ſonus idem ſit: non tamen auſim eam in ſententiam deſcendere. quum negari non poteſt, Aeoles digamma adhibuiſſe vice aſperi ſpiritus vt Fέλενα; (ſ) vel hiatus etiam reficiendi cauſ-

(r) *Lib. I, p. 545*

(ſ) Eſt illud exemplum quidem apud PRISCIANVM, *p. 546*, ſed longe aliud quid inde deducere ſatagit, nempe Ⅎ pro conſonante ſimplici adhiberi. Alio loco, aperte id fatetur. ait enim: *Sciendum tamen quod hoc ipſum* (digamma) *Aeoles quidem vbique, loco aſpirationis ponebant. Nos autem*, (vt deinde pergit,) *in multis quidem, non autem in omnibus illos ſequimur*. l. c. *p. 547*. Sed quo modo, id cum eo, quod, *p. 545*, de vtriuſque literae conuenientia dixerat, poteſt conciliari? Itaque tueri ſe aliquo modo poteſt, quod VOSSIVS ait: *Vſquequaque negari poſſe, quod de pari aiunt*, his in literis, *poteſtate*. praecipue quum SERVIVM habet conſentientem. Immo ipſos etiam apud Latinos Ⅎ pro aſpiratione exaratum fuiſſe videtur: nam *antiqui*, inquit QVINCTILIANVS, *Ⅎoedum Ⅎoeduſque* (ita enim LIPSIVS legit.) *pro aſpiratione vau ſimili litera vtentes* ſcripſerunt. PRISCIANVS id in vocibus *veſpera, vis, veſtis*, factum eſſe putat

caussa. (t) quod V sonanti aut nunquam euenit; aut rarissime. Sed ob sonum mollem potius et veluti suspensum, qui vtraque est in litera, (aut verius qui esse in vtraque debebat ;) Aeolicum digamma, a CLAVDIO adhibitum esse pro V consona, dixerim. Iam quum digamma idem fuerit sonus, qui esse V consonae debebat, non est etiam morandum fateri, literam eam fuisse, non halitum vnice. quod SCALIGER vult. inprimis, quum TACITVS etiam et QVINCTILIANVS, cum aliis, literae ei nomen attribuerunt. Statim autem postquam CLAVDIVS fatis esset functus, obliteratum digamma videtur fuisse. (v) Redeo iam ad V literam cuius sonus, *constricto ore, et labris*, VT CAPELLA ait, *promulis* formatur. (x) Hinc obscuris atque

(t) *Quod ostendunt etiam Poetae Aeolidae vsi, Alcman*, καὶ χεῖμα πῦρτε δᾶ Fιον. PRISCIANVS l. c p 547. Aliud deinde subiicit exemplum, ex tripode APOLLINIS, qui in Xerolopho Byzantii fuit collocatus. Enimuero hic apud ipsos etiam Latinos, hiatus caussa V poni in *Arguius*, *pauo*, *ouum*, cet. opinatur

(v) CLAVDIVS *tres*, inquit TACITVS, *literas adiecit*, *quae vsui*, *imperitante eo*, *post obliteratas*, *adspiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiscitis*, *per fora et templa fixo*. *Annal. Lib. II*, *cap. XIII*. Dolendum autem repudiatam eam a Literatoribus fuisse

(x) Itaque sonus huius literae multis modis ab

que occlusis rebus exprimendis accommodatus est. Iam si sonum, qui hodie huic literae asseritur, spectes: conclamatum de genuino eius sono esse persentisces: ita enim vt F litera sonat. quod improbat VOSSIVS, (y) et praecipue LIPSIVS. (z) qui ita fuisse V efferendum, quemadmodum W Theotisca in lingua, contendit. Alius huius literae, item spurius sonus, obtinet tum, quando Q litera antecedit, et vocalis consequitur. estque mistus quasi ac com-

ab sono literae B differt: in hac enim non nisi quodam vehementiore nisu et impetu quasi labra recluduntur. Ad quam diuersitatem parum videtur ADAMANTINVS MARTYR attendisse. Vid. LIPSIVS, *cap. XI, p. 36.* Item qua in re differat V consonum a litera F, SCALIGER his verbis docet: *Puto fuisse F*, inquit, *validissimum astricto superioribus dentibus labio inferiore.* Deinde ita pergit: *Mollissimum V, quomodo nunc quoque dicimus, aut non multo attentius.* l. c. *cap. X, p. 29*

(y) L. c. *cap. XXVIII, p. 106*

(z) Argumenta LIPSII haec sunt. I) Quia mollis illius sonus, adhuc quaedam. in *anguis, quando*, aliisque vocibus, vestigia exstent: II) Quia veteres pro aspiratione digamma vsi sint. III) Quia Graeci, VARVM, VALERIVM, cet. Οὐάρον atque Οὐαλήριον scribant. *cap. XII, p. 37*

compositus e vocali et consonanti. Quare POMPEIVS (aa) etiam, DIOMEDES, (bb) DONATVS (cc) atque MARIVS CORRADVS, neque vocalem neque consonantem, hoc in positu, eam dici volunt. quin, SERGIVS (dd) negat V literam esse, quando Q praecesserit. Et consonantem quidem eam iam esse non posse, inde probat SERGIVS, quia ante se aliam *consonantem habeat*, id est Q: vocalem eam esse non posse, *quia sequitur illam vocalis*. Esse autem alteram rationem lubricam, BEDA (ee) euicit. quid enim impedit quo minus duae inter se consonantes nectentur? (ff) Eadem autem soni in V corrupte-

(aa) Vid. BEDAM, *de Metris, p. 2350*

(bb) *V litera*, inquit, *interdum nec vocalis nec consonans habetur, quum inter Q literam consonantem, et aliam vocalem constituitur. Lib. II, p. 416*

(cc) *Edit. I, p. 1736*

(dd) In DONAT. *Edit. I, p. 1817*

(ee) *Quid enim!* ita excipit sacerdos, *numquid quando scribimus astum, dicendum est, T, consonantem esse non posse, quum ante se habet alteram consonantem, id est S, immo et vocalem esse non posse, quia illam vocalis sequitur. Lib. de Metris, p. 2351*

(ff) Nempe hoc mihi volo, inde, quoniam sinistre V post Q effertur, non consequi, vt omnino litera non sit. Ceterum, abundare V post Q infra ostendam

ruptela regnat, quando literam S conſequitur, vt *ſuauis*. Quum itaque ſono non vbique dignoſci V vocale atque conſonum poſſint, tenendum hoc, conſonantem eam eſſe tum quando vocalis inſequitur (gg)

V CONSONANS interdum in vocale, praecipue apud Poetas, tranſit, vt apud TIBVLLVM in *diſſolüenda* pro diſſoluenda. Redundat in *quo* et *quia*. de quo infra. B pro V poni Aeolum more PRISCIANVS et ADAMANTINVS MARTYR teſtantur. Solet enim apud Aeoles quoties a P incipit dictio, in B mutari, vt βρήτορ pro Fρήτορ. In deductis a Graecis, interdum digamma ingeritur, vt ouis ab ὄϊς; interdum praeponitur, vt vis ab ἴς

(gg) PRISCIANVS ita proponit: *Digamma niſi vocali praeponi et in principio ſyllabae non poteſt.* Sed in *huic*, quod monoſyllabum eſt, ea obſeruatio non valet. Ceterum, de eo, quod VICTORINVS duplicis interdum literae notam eſſe digamma voluit, SCALIGER, l. c. *cap. X, p. 26*, expoſuit

CAPVT VI

DE BINIS VNA IN FIGVRA LITERIS QVAS DVPLICES VOCANT

I

In literis esse duplices, qua literis constant, fatendum omnino est. (a) Non autem sunt ad mutas aut semiuocales, vdasue, si in se spectantur, referendae. quod pariatio in duplicibus, et literis duabus, quae sunt vnam in formam redactae, obtinet. Qua in re lapsi esse veteres videntur: vt qui X, (b) vt hac vtar, ad semisonantes reiecerunt: nam quum X, C est atque S, ταχυγραφίας ergo combinatum, neutri classi literarum tota addici poterit. Esse autem in se has literas necessarias, non temere est asserendum: ipse enim FABIVS re-

(a) Itaque nihil agunt hi, qui literas esse duplices negant, quia duplex minima non sit vocis pars: nam eatenus saltem literarum ipsis nomen attribuitur; quatenus indiuiduis constant minimisque vocum partibus. Ipse PRISCIANVS, qui literas esse minimam vocis partem voluit, non negat X literam esse. *Lib. I, p. 540. 541.* Addi hoc poterat, Graeca etiam in Literatura duplices literis annumerari

(b) *Lib. I, p. 541*

repugnat: quum duplici litera X *carere nos potuisse*, dicit, *si* eam *non quaesissemus*: (c) interim nec repudiandae hodie sunt, ob veterum Literatorum auctoritatem: atque, vt integrum nemini est alias eis adiicere formas: ita nec antiquare eas, cuipiam licet. Triga autem literarum, me quidem iudice, huc pertinet, Q nempe, X atque Z. Dicam de singulis

II

Q, LITERAM duplicem esse, eo est magis iustis rationibus communiendum: quo pauciores sunt, qui id concedant. Arguit autem hoc, I) ipsa figura: namque illa a C atque V literis desumta videtur esse, hunc in modum, vt lunata literae C forma, in spiram fuerit collecta. Cauda, quam trahit, vna cum vicina spirae parte, V literam, distentis ac incuruatis lineis refert. (d) II) Sonus pariter qui Q literae

 est

(c) *Lib. I, cap. IV*

(d) Aliis videtur aliter: sunt enim quibus Q, C videatur replicatum, rectum alterum, alterum vero inuersum esse. quod cum ipsius sono non conuenit: neque etiam inde caudae potest ratio reddi. Interim tamen AVSONIVS hunc in modum canit:

Praeualuit postquam Gammae vice functa prius C
Atque alium pro se titulo replicata dedit Q

Quo

est id euincit: nam *appulsu palati ore constricto* pronunciatur. Itaque aliqua est quidem Q literae cum C, qua sonum, conuenientia; (e) siquidem figura Q, C litera continetur: enimuero V etiam literae sonus, si eam pronuncies, exauditur. Itaque, *qui caste atque integre in prouincia versantur pronunciationis*, vt iam SCALIGERI verbis vtar, *includunt aliquantum potestatis ipsius V.* Iam esse omnino eius in sono, quasdam V literae partes, potissimum inde cogitur, quia Romani, quam frequentissime V post Q, vt est superuacaneum, prorsus omiserunt. quod in aliis VELIVS LONGVS testatur. *Idoque quis, et quae, et quid, per Q, et I, et S scripserunt, et per QAE, et per QID.* (f) III) Tandem veterum etiam auctoritate ea se tueri sententia potest. Nimirum MARTIANVS CAPELLA, (g) VELIVS LONGVS (h) DIOMEDES,

Quo in loco LIPSIVS pro *titulo titulum*, non praeter rem, reponendum putat. *cap. XIII, p. 43*

(e) Id crebra ex vtriusque literae commutatione, cuius infra quaedam exempla dedi, diuinari potest. quibus addi poterat, QVRPVS pro corpus, GRVT. *p. MLVI, n. 1*; LIQVEBIT pro licebit. *p. DCCCI, n. 5*: item PEQVDES, PERSEQVTIO, PEQVNIA cet.

(f) *De Orthogr. p. 2219*

(g) *Lib. XIII, Constat C ex Q et V. Ideoque duplex, et composita dicitur*

(h) *De Q litera*, inquit,

MEDES, (i) VOSSIVS (k) atque alii, Q esse in duplicibus demonstratum iuerunt. Sed, Q literam, si qua duplex foret, positum etiam efficere oportere, quidam excipiunt. Atque in eo veri quid est, sed colligitur inde perperam: nam valet id de duplicibus, quae meris consonis constant literis. At enim vero, in Q litera, altera est vocalis nempe V. quod ipse sonus loquitur: non enim potest C, atque V consonum efferri. Itaque quo te cunque vertas, Q duplicem literam esse, fatendum erit. De nomine literae Q, vt ad hoc transeam, longa est apud VOSSIVM (l) disputatio: nam commodius eam dici QVV; quam QV, existimat. quod id sonum literae Q ple-

quit, *quaesitum est, et multi illam excluserunt, quoniam nihil aliud sit, quam C et V. p. 2218.* Prouocat dein ad antiquam literae figuram

(i) *Lib. II, p. 420*

(k) Vir summus, fuse de ea re, *Lib. I, cap. XXIII, p. 95,* agit: inductaque veluti phalange argumentorum, eam quam tueor sententiam, propugnat. Conf. *cap. XXIX, p. 109.* Nescio itaque, quid sibi RVHE velit, qui *Spec. I, p. 27, Ad valorem quod attinet,* inquit, *nec diuersum hunc esse a C et K,* VOSSIVS *probat.* neque enim id in sphalmatibus relatum esse video

(l) *Lib. I, cap. XXXII, 122.* Praecipue ad vsum huius literae respicit, vt nempe adhibeatur tum, quando duo VV consequuntur, et C autem quando vnum

plenius ostendat. In figura, praeter id quod ante commemoraui, notandum, Graecanicum ϙ, siue Koph, quod Graecis e literis, a CALLISTRATO aut PYTHAGORA eiectum, inque ἐπίσημον, nonagenariiue nota habitum, Q literae ἀρχέτυπον SPANHEMIO (m) videri. Porro, disceptatur etiam, vtrum Q necessarium sit. quod sane, quando in se haec litera spectatur, negauerim: enimuero, si eo nomine *superuacanea* tibi videatur; *quod* C huius *locum possit implere*, vt nonnulli apud DIOMEDEM (n) sciscunt: id ipsum nego atque pernego: simplex enim litera neque potestatem neque sonum duplicis referre vnquam potest. id est; vna litera vice duarum fungi nequit. Atque eo sane respectu DONATVS (o) probandus, qui *imperi-*

(m) *Adde*, inquit, ϙ *Koph*, *vnde Latinorum Q.* l. c. *Diss. II, p. 121*

(n) *Lib. II, p. 417*

(o) *Edit. I, p. 1737. Ex his duae*, inquit, *superuacuae quibusdam imperitis esse videntur, K, et Q qui nesciunt quotiens V sequitur, per Q, non per C scribendum.* Pertinet hoc etiam ad PRISCIANVM. qui eandem Q literae cum C vim esse docet, idque inde deducere annititur, quod in C mutetur, vt *cuius* abs quis. *Lib. I, p. 560.* Si autem hoc valeat, poteras etiam dixisse, X literam nihil esse nisi C: *mordacis* enim a mordax flectitur. Alio in loco, id habere hanc

peritos eos dicit, qui Q ſuperuacaneum vocent. Ceterum, NIGIDIVS FIGVLVS, K non eſt pro Q vſus, atque LICINIVS CALVVS vniuerſe Q, teſte MARIO VICTORINO, (p) non adhibuit

C EST pro Q, literatis quibuſdam in lapidibus repoſitum, vt Romae, in ſacello ad aedem Crucis Hieroſolymitanae, in baſi cuiuſdam monumenti: IN. F. P. XXV. IN. AG. P. XXXV ITV. AMBITV. ACVAE. PRAESTANDV: item pro *qu*, Tergeſtini muri in inſcriptione, COTIDIE BENEFACIENDO: vt et pro *qui*, in S. Angelo ad montem Iordani:

DIS. MANIBVS
VLPIO. VRSINO. EVOCATO
QVI. BIXIT. A. XXXX. M. II. D. XV
MVMMIA. AFRODITE
POSVIT. MARITO. PIENTISSIMO
B. M
ARCADI. OSSA. BE. CESQVANT

Vbi CESQVANT eſt pro quieſcant. M ante Q, quidam volunt in N verti, vt

 in

hanc formam vtilitatis concedit, vt *oſtendat ſequens V, ante alteram vocalem in eadem ſyllaba poſitam, perdere vim literae in metro.* l. c. *p.* 543

(p) *Lib. I, p.* 2456

in *quanquam.* Itaque non audiendus CLEDONIVS, qui *quanquam*, per N si coniunctio, per M si pronomen fuerit, scribendum putat. (q) *Quemque* per M scribere mallem: licet ANTONINORVM aeuo N ea in voce scriptum fuisse, monumenta testentur. N in C etiam transit Q consequente, vt *ecquid.* (r) D in C verti ante Q alibi dixi. Nescio autem an quid eueniat frequentius, quam, vt V post Q de abundanti adiiciatur, vt *equus.* quod QVINCTILIANO etiam placet. (s) VOSSIVM vero male ista scriptio habet, atque *oecumenicum* eam *errorem* vocat. (t) Sed, est aliquid consuetudini, cui inseruit Literatura dandum tum, quando apud veteres etiam ea obtinuit. In *quum* autem, vtrum vnum V; an duo sint scribenda, altioris aliquanto indaginis res est: per vnicum enim V AVGVSTI in numo conspicitur, cui inscriptum: C. ANTIST. VETVS. FOEDVS. P. R. QVM. GABINIS. Atque Romae, in aede S. XL Martyrum: ME-

(q) *Pag. 1932*

(r) Nempe sumsi hoc, quod principes Grammatici volunt, ex *en* esse atque *quid ecquid* factum. Alii autem ab *ecce* per Apocopen eam compositam esse putant. Sed quid si dicam *ec* idem ac ex esse. Nempe *ecfero* apud CICERONEM in chirographis habetur, si BECMANO fides est habenda

(s) *Lib. XII, cap. X*

(t) *Cap. XXIX, p. 109*

MEQVM QVOS TESTAMENTO HONORAVI. Alius AVGVSTInumus QVVM legit. ac tertius, RVHE teste, habet CVM. Iudiciario in fragmento, apud FVLVIVM VRSINVM, se offert QVOM, his in verbis: QVOM. EX HACE. LEGE. FIERI. OPORTEBIT. item QVOM SOVEIS. NVMAE in Saliari carmine, CVME PONAS LEVCESIAE, adest. Iam, quum hinc quae scriptio potior sit, intelligi non potest: audi mihi QVINCTILIANVM, qui *Olim Literatores Q, si comitem indicet per C: si vero caussam per Q et duas sequentes V* scripsisse refert. Id vero *inter ipsas ineptias nondum euanuisse*, VELIVS LONGVS (v) affirmat

III

X LITERAE, inde nomen IX esse videtur, quod Graeci pariter, I literam in vocali Ξ praeferunt. (x) A forma *cruciaria* (z)

(v) *Pag.* 2231. Adde SCAVRVM, *p.* 2261, qui tamen *quom* pro cum legit. Nec alieni ea ab sententia, CVRTIVS VALERIANVS, et CAECILIVS VINDEX apud CASSIODORVM, sunt. ENNIVS ita canit:

Cum legionibu' quum proficiscitur induperator.

Ceterum, dissentit DAVSQVIVS. *Tom. II, p.* 200

(x) SCALIGERO alienum id a vero esse videtur, quoniam IM etiam

(z) LIPSIO dicitur. Figura eius, quando denarium innuit, non multum ab Claudiano antisigmate abest: refert enim duplex C iugatum, hunc in modum ƆC. quod Corneliae gentis in numo conspicitur, in verbis, LENT. CVR. ƆC. FL. Apud Graecos aliquando pro X forma, eiusmodi figura est adhibita, quae proxime ad Romanorum Q accedit: sed differt tamen in eo, quod ima in parte ductus; quidam hiatus reperitur. Habetur ea in thesauri Brandenburgici numo, qui PALLADIS galeatum caput praefert. inscriptum ei, A Ϙ V P pro A X V R. Fuit etiam eius apud Graecos figura haec: Ʒ, vt in numo vrbis Alexandrinae gazae Mediceae, ÆƷAN pro Alexandria

etiam IN atque IF, si id valeat, dicendum fuisset. Sed confirmatur ea res, tum PRISCIANI; tum EVTROPII testimonio: hic enim, ita apud PRISCIANVM fatur: *Vna duplex X, quae ideo ab I incipit, quia apud Graecos in eandem desinit. Lib. I, p. 540*

(z) ISIDORI locus, praecipuum est, in his quae LIPSIVS commemorat argumentum. ait enim: *X litera et in figura crucem et in numero decem demonstrat:* nam in variis crucis apud antiquos formis, est etiam aliqua, quae lignis decussatis constat. Vid. LIPSIVM, l. c. *cap. XVI, p. 50*

dria legitur. Est autem X, compendium scriptionis duarum literarum C et S. quod VARRO, (aa) ISIDORVS, MARIVS VICTORINVS, (bb) PETRVS DIACONVS, alii, affirmant. Volunt quidam X etiam GS valere. quod CAPELLA praecipue, DIOMEDES, PRISCIANVS, et VARRO etiam non negant: quum *dugs* atque *regs* per GS scripta olim fuerunt. Sed mallem ista exempla in demutationibus literae C haberi: nam, X literam non posse GS referre, inde intelligitur, quod G litera Romanis cognita nondum fuit, quum X literis adiiceretur. Siquidem DVILII in columna, in qua G literae nec vola nec vestigium adest, X conspicitur in verbis: EXEMET· LECIONES· mAXIMOSQVE· MACISTRATOS· L nOVEM· CASTREIS· EXFOCIONT· MACEL. Itaque vapulant, ISIDORVS (cc) atque PETRVS DIACONVS, (dd) qui AVGVSTI demum aeuo, X literam.

(aa) *Ex C et X dux. Lib. VIII de LL. p. 152:* item l. c. *p. 121, Ex C et X crux.* Sed addit, *Ex G et S frux.* de quo statim dicam

(bb) *Lib. I, p. 2455*

(cc) Verba ISIDORI ita habe: *X litera vsque ad* AVGVSTI *tempora nondum apud Latinos erat; sed pro ea C, et S, scribebant*

(dd) In Epistola ad CONRADVM Imperatorem. Vid. NORISIVM, *Diss. IV, p. 447.* PAPIAS inde, quod AVGV-


ram, ciuitate Latina donatam fuiſſe contendunt. Ipſo etiam e literae ductu, non G et S; ſed C ac S eam valere, demonſtrauerim. In eo enim C eſt inuerſum S literae iunctum, hunc in modum: ɔS, vt ne indecore autem incurua linea emineret, abiecta eſt dimidia S literae pars. Praecipuum tamen eſt, quod ab ſono X literae arceſſitur argumentum. Iſte enim non eſt G ac S; ſed C ac S literarum: quia *hiſpidus* (ee) eſt. quod in G literam non cadit. Tandem notandum etiam hoc, NIGIDIVM FIGI-

AVGVSTI tempore adiecta X Latino Alphabeto fuerit, ineſſe ei aliquid μυστηρίου autumauit: nempe appoſitam eam maxime eſſe, ad ſempiterni Saluatoris nomen exprimendum. quod crucis prae ſe formam fert. *X litera vſque ad* AVGVSTI *tempus*, inquit, *in vſu non erat apud Latinos. Et digne hoc tempore, quo* CHRISTI *nomen innotuit, quia in figura crucis* CHRISTI *ſcribitur ſic*: XPOS. Conf. MARTINIVM, in *Lex. Etym. fol.* 4116

(ee) Literae X ſonus, *craſſo ſpiritu*, vt MARIO VICTORINO placet, *hiſpidum ſonat, qui per coniunctionem C et S, quarum et locum implet, et vim exprimit, vt ſenſu aurium ducamur, efficitur. Lib. I p.* 2455. Itaque in X efferenda, retrorſum adducta vox premitur quaſi et ſolidatur. Vnde et *vaſtioris ſoni* nota eſt, quod CICERO affirmat his in verbis: *Quomodo veſter* AXILLA, ALA *factus eſt, niſi fuga literae vaſtioris*

FIGVLVM litera X ſuis in Commentariis vſum non eſſe (ff).

LITERAE X, non tam forma, quam poteſtas eſt, vetuſtis in ſcriptionibus, mutata: iam enim pro S vnice litera fuit accepta, vt in vetuſtiſſimo ad Luſitaniae ſiluam monumento:



Piſis,

(ff) Vt MARIVS VICTORINVS, *Lib. I, p. 2456*, teſtatur

Pisis, ad templum s. GENONI: SATVRNIA SAVINIA CONIVNCX. VICXSIT quoque, IVNCXIT et EXTINCXIT, passim in literatis lapidibus occurrit. Iam pro C litera acceptum fuit, vt in Sextiliae gentis apud MORELLIVM numo, ALEXSANDER. Atque in hac, quam infra iam exhibui, arcis ad Tabernas montanas, area:



Ita quoque ALEXSA, AVXSILIVM, MAXSVMVS, aliaque eiusmodi vocabula passim inueniuntur. cuius rei me in S litera quaedam proponere exempla memini.

mini. Sed notandum hoc, ſequiori etiam aeuo, a quibuſdam hanc literae X ſubiectam eſſe poteſtatem, vt vnum C, in CHRISTI ſoſpitatoris hominum nomine referret. vt in libris, monaſticis, ſi ita dicere fas eſt, typis (gg) exſcriptis, videre eſt. quo neſcio vtrum etiam vocem *Xeromyrrham*, (hh) quam ſenſu caſſam quidam eſſe exiſtimant, referam. Quin immo PROBVS, (ii) TRAIANI aeui Literator, id de neceſſitate eſſe, quum S adiicitur, con-

(gg) Exemplo eſſe liber poteſt, qui inſcribitur: *Sermones Dominicales, a Fratre quodam Ordinis Minorum de Obſeruantia Comportati, Biga Salutis intitulati.* Aliud eſt in VENANTII FORTVNATI *Acroſtichide.* quum enim ad X literam ventum eſt, ita canit:

XHRISTVS *ſereno lumine*
Circumuolet - - -

(hh) PAPIAS, myrrhae atque aloes miſcelam ea indicari voce opinatur: alii loquelam *Xeromyrrha*, e CHRISTI eſſe nomine atque vocabulo myrrha compoſitam ſciſcunt. Occurrit ea SEDVLII in *Acroſtichide*

(ii) Apud PIERIVM VALERIANVM, poſtquam euicerat duplicem X literam eſſe, quoties ſyllabae ſubiiciatur, in hunc modum pergit: *At vero quando propoſita ſyllabae exiſtat, non duplex, ſed ſimplex eſt accipienda.* Vid. PIERIVM, in commentario, ad VIRG. *Lib. VII Aeneidos, p. 125*

P

contendit. At vero repugnat columnae rostratae inscriptio, in qua, mAXIMOSQVE, sine S admota, legitur: in finium etiam, inter Genuales et Veiturios regundorum inscriptione, vocabulum VIXERVNT sine S, licet non constanter, reperitur. Nec non in vtraque Pisana apud NORISIVM tabula, codiceque VIRGILII Mediceo, X interdum sine S adiecta, occurrit. Verum enim vero, éa ab quaestione, toto caelo differt haec: vtrum S in compositis ab *ex* praepositura; si S gerant in fronte, scribendum sit; nec ne: ipsa enim Notatio hanc scriptionem exigit, et frequens etiam eius apud antiquiores pariter, atque recentiores vsus, vt in COMMODI, qui in gaza Arnstadiensi habetur numo, IOVI EXSVP. pro exsuperantissimi; in alio eiusdem, IOVI EXSVPER: (kk) NERVAE numus EXSVL praefert: item marmorea in campo Martio tabula, cui inscriptum: PRIMVM QVADRIGIS VICTOR EXSTITIT: Tibure in altera columnae cuiusdam parte, M. HELVIO. EXSPECTATO: in Tiberinae insulae monumento, TESTIMONIVM GRATV-

(kk) Notat RVHE, LVDOVICVM SAVET, qui vna cum GOLTZIO atque OCCONE legit, IOVI EX SVPERIS

TVLATIONIS EXSOLVIMVS: In LVCII Caesaris Cenotaphio prope finem, EXSEQVIQVE. Carpensi (ll) item ac Mediceo VIRGILII codicibus ea scriptio comprobatur. Atque PIERIVS, DAVSQVIVS et CELLARIVS eam pariter scriptionem probant. Quid, quod veterum etiam Grammaticorum ex ordine, CAESELLIVS, (mm) TERENTIVS SCAVRVS, (nn) PAPIRIANVS, (oo) ANNAEVS CORNVTVS, (pp) alii; mecum faciunt. Habet denique id etiam commodita-

(ll) Interim in eo EXVLTAT legitur, quod non improbauerim, vt EXILIVM etiam, quod in iudiciariae legis apud GRVTERVM fragmento reperitur

(mm) Apud CASSIODORVM hunc in modum praecipit: *Quaecunque verba primo loco ab S litera incipiunt, ea cum praepositione ex composita, literam eandem S habere debent. Cap. X, p. 2314.* Consequenti pagina, subiicit varia exempla, in quibus est hoc, *exspecto* ab specto esse; *expecto* a pecto, id est, pectino.

(nn) Saluum esse initium, vocibus *exulet* et *expectatus*, *praepositione adiecta* oportere, affirmat, *p. 2258*

(oo) *Quaecunque verba ab S litera*, inquit, *incipiunt, si composita sunt, vt ex praepositionem accipiant, seruata S litera scribuntur.* CASSIOD. *p. 2291*

(pp) Vtitur exemplo *extinguunt*, *p. 2284.* Vid. etiam QVINCTILIANVM, *Lib. I, cap. VII*

tis haec ſcriptura, vt dignoſci ab ſe voces poſſint, vt *excreo* a creo eſt: *exſcreo* autem ab ſcreo. cuius rei apud QVINCTILIANVM atque CAESELLIVM exempla proſtant. Qui ſecus ſentiunt, vt PRISCIANVS, VELIVS LONGVS atque SCALIGER, Euphoniae eam ſcriptionem obuerſari putant: atque inſuper excipiunt S in X iam contineri. (qq) quod non nego: ſed praepoſitionis illud eſt, non ipſius loquelae. Nec non ad Graecorum prouocant morem, qui ἐκ ante Σ, non ἐξ vſurpant. Sed Graeca conſuetudo Romanae Literaturae praecepta eleuare nequit. Ceterum, quum vna in loquela frequentius ponitur S poſt X; in alia frequentius abiicitur, e re erit, ſibi ſcriptores non proletarios ad imitandum proponere. Porro ſi *ex* voci a D incipienti iungitur: D tollit, vt exuo ab ἐκδύω: C litera, vel D vel G vel T, aut vocali quapiam conſequente, non *ex* ſed *e* in compoſitione adhibitum eſt: ante F in ſimilem tranſit, vt *effero*, *efficio*. Repoſitum inſuper S pro X, in arula marmorea, quae Romae eſt, in Alberinorum aedi-

(qq) Poſtquam VELIVS LONGVS monuerat, ambiguitatem in hac ſcriptura timendam non eſſe, rationem addit hanc: *quod in hac litera X etiam S poſita ſit atque compoſita, p. 2226.* O ſi nobis MESSALAE CORVINI de S litera liber ſuppeteret

aedibus. in qua haec habentur verba: COIVS. B. M. FECER, pro *coniux*. Flectendo in V consonum transit, vt *nivis* a nix: in CT vt *suppellectilis* ab suppellex. Temporum in deductione, H interdum vice fungitur, vt *vexi* a veho, *traxi* abs traho

IIII

Z, QVAE literarum agmen claudit, vetustis iam temporibus a Latinis recepta in literas esse videtur: quia VELIVS LONGVS Saliari in carmine eam vidit. In Graecis Ⲹ forma pro Z occurrit, vt in Apamensium gazae Mediceae numo, ⲸΛΣ reperitur: Ⲹ enim hic pro numero septenario, id est pro Z poni, SPANHEMIVS euicit. (rr) Non autem tam disceptatur, vtrum duplex (ss) haec litera sit: quam quibus sit ex literis efformata. Etenim sunt qui eam duplici ex S coalitam esse existiment: in quibus PRISCIANVS etiam est: idque inde probare satagunt, quod Latini SS pro Z,

P 3 in

(rr) Occurrit ea forma etiam Oxoniensibus in marmoribus: in Smyrnae atque Syracusanorum numis; ac apud PARVTAM. Vid. SPANHEM. *Diss. II, p. 99*

(ss) TERENTIVS quidem SCAVRVS, quorundam, qui id negauerint, meminit: sed VOSSIVS, id praeter rem fieri, l. c. *cap. XXI, p. 91* probat. Vid. DIOMED. *Lib. II, p. 415, 416, et 417*

in deductis a Graecis adhibuere. (tt) Atque illud verum quidem in ſe eſt, ſed iuncea huius rei probatio : quum ſonus S S literarum, atque Z, diuerſus omnino eſt. Alii D et M literis eam conflatam eſſe, VERRII FLACCI auctoritate ducti, aſſerunt. Confirmatur hoc etiam inde, quod Dores ΣΔ per μετάθεσιν, pro Z ſcribunt, vt in numo quodam apud GOLTZIVM, ΣΔΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΟΣ legitur. quare cunctandum non eſt, huic potiſſimum ſententiae calculum adiicere. Poteſt id pariter, e ſono ipſius Z intelligi : Effertur enim appulſa ad dentes clauſos lingua, idque repentino et perualido ſono. quod ſane arguit, D literam ea contineri, vt quae in pronuncianda, dentibus lingua admouenda eſt. (vv) Itaque VICTORINVS AFER non eſt audiendus, qui in Z *non ſonum literae, ſed vocabulum, duplicemque ſyllabam eſſe*, autumat. Neque eſt etiam, quare cum APPIO CLAVDIO, (xx) ob ſo-

(tt) Vt maſſa a μάζαω, patriſſo a πατερίζω. At enim vero ſumas, SS eſſe pro ζ, numquid poteſt etiam SS ab initio vocis vſurpari ? ſed Z poteſt. Vid. VOSS. l. c. *p. 91*

(vv) VALERIVS PROBVS, *Lib. I*, obſeruauit, Z literam *ita duplicem efficere ſonum, vt cui accommodata ſit ſyllabae ignoretur*

(xx) Refert hoc MARTIANVS CAPELLA hic

ſonum iniucundum eam refugiamus: quum QVINCTILIANVS, cui et ipſi aures teretes fuere, *nullas literas* apud Graecos dulcius ſpiraſſe, quam Z et Y affirmat

PRO Z, D eſt aliquando poſitum, vt MEDENTIVS pro MEZENTIVS. In deriuatis a Graecis item D pro ζ ponitur, vt odor ἀπὸ τῦ ὄζειν. quae demutatio ſuauiſſima DIONYSIO Halicarnaſſenſi eſſe videtur. Porro loco S literae, vt SETHVS a Ζῆτος: SS, vt aſſolis ab ὄζολις, polypi ſpecie. alia alibi exempla commemoraui

V

SVNT qui I etiam conſonum, duas inter vocales collocatum, in duplicibus habeant. idque inde intelligi putant, quod *bi* conceptio in biiugus, et *dri* in quadriiugus, longae interdum apud Poetas ſunt. Attigi autem eam quaeſtionem in I litera, atque monui ſcriptum I geminum olim hoc in poſitu eſſe, vt et in *maiius*, aliis; minime autem pro duplici habitum. Quodſi eo te recipias, vt obuertas, I eductum pro gemino non ſemel

 apud

hic in verbis: *Z idcirco* APPIVS CLAVDIVS *deteſtatur, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitatur*

apud priſcos reperiri : id non negabo, ſed id T, S, V, aliiſque etiam literis accidit. ergo hae etiam in duplicibus erant reponendae. quod repugnat. Porro, V etiam litera vocalibus vndique ſtipata, perperam abs quibuſdam huc refertur. Atque quum eaſdem, quo hoc ſibi conſtet, rationes enumerant, quibus in I litera vtuntur : iiſdem etiam quibus illud ſcitamentum, confutatum eſt argumentis, frangi atque conuelli poterunt. Haec de literis (yy) vniuerſe ſufficiat dixiſſe

SECTIO

(yy) Itaque, alia eſt nulla, praeter eas quas adduxi litera, in Latinis habenda. Atque ſpuria adeo et Theotiſco e charactere ſubrepta. eſt figura W, quae in quadam inſcriptione, Ann. 1549 Albae Ruffae, ab RASCASIO eruta, conſpicitur. Verba ita habe : MARCIANVS. ET. SECVNDINVS. MEMORIAM. POSVERVNT. PATRWI. PATRI. DVLCISSIMO. SENI. VO: ANNORVM. SEXAGINTA. Habetur etiam in inſcriptionibus AIOWIS, SECWDANVS et SWT

SECTIO III
DE CONCEPTIONIBVS

CAPVT I
QVONAM INSINT CONCEPTIONES QVOVE MODO DISPESCANTVR OSTENDIT

I

SYLLABA, quam Latine conceptionem dixeris, eſt *vox literalis, quae ſub vno accentu, et vno ſpiritu, indiſtanter pronunciatur.* Hanc, quam a PRISCIANO (a) mutuatus ſum conceptionis definitionem, ſi aliquanto coarctare licet; inde haec eius finitio emerget, quae conſequitur: *ſyllabam articulatam eſſe vnius ſoni vocem,*

(a) *Lib. I, p. 565.* Suppeditauit autem hanc, quam adduxi finitionem, poſtquam vidiſſet, qua difficultate premeretur ea, quam antea adhibuerat, in qua comprehenſionis vocabulo vſus fuerat. Sed hanc quoque SCALIGER carpit. Nempe in voce *profertur*, monet ſcriptionem etiam ſyllabae competere. At haec rixa de lana caprina eſt. Vid. *Lib. II de cauſſis LL. cap. XLVIII, p. 108.* Ceterum, PRISCIANI definitionem apud FLACCVM etiam ALCVINVM, *p. 2084,* reperies

cem. (b) Videntur autem Grammatici, omnes, qui syllabam comprehensionem esse literarum dixere, iusto arctiori finitione vsi esse. Id enim si sumas, quo tandem loco monogrammae vocales erunt habendae. Num istae spuriae conceptiones sunt? an vero ad aliam quandam syllabarum classem erunt reiiciendae? Illud ridiculum, SCALIGERO iudice: hoc esset anfractus studio sectari. Interim tamen eo se CHARISIVS, (c) DONATVS, (d) MAXIMVS VICTORINVS, (e) alii, recipiunt. At enim vero, idem incommodi habet vox συλλαβὴ: nam ea pariter aliquam comprehensionem innuit. Nec conceptionis (f) etiam vocabulum, quod recte adhiberi pro voce syllaba ante dixi, omni-

no

(b) Ea VOSSIO quoque arrisit definitio. ait enim: *Syllaba est vox articulata, vnius integri soni. Lib. II, cap. I, p. 166*

(c) Integra conceptionis finitio, quam SOSIPATER exclusit, hunc in modum se habet: *Syllaba est litera vocalis: aut literarum coitus per aliquam vocalem comprehensus. Lib. I, p. 1*

(d) *Pag. 1737*

(e) *Pag. 1945*

(f) Est mihi CHARISIVS huius denominationis auctor, vt qui multos voce conceptionis in syllaba definienda, vsos fuisse refert. *Lib. I, p. 2.* Potest autem per Catachresin, ad eas syllabas quae singulis constant literis ea vox referri

no ab eo est alienum. Sed quid agas, quum commodius nomen nullum suppetit. Ferendum itaque, vt a potiori denominatio fiat. Verum enim vero, cauendum, vt ne, dum hoc in syllaba definienda vitium vitamus, in aliud contrarium huic, imprudentes feramur. Abs quo SCALIGER non omnino fuit alienus, qui *syllabam esse elementum sub accentu* (g) eloquitur. Quemadmodum enim altera illa definitio, qua comprehensio syllaba dicitur, ad singularum literarum syllabas non pertinere videtur: ita haec ad eas quae pluribus constant literis, vix et ne vix quidem referri potest. Aliud in definiendis conceptionibus vitium committitur, quando *vocis pars* (h) syllaba perhibetur esse: quum tamen ipsa interdum vocem efficit: (*) sunt enim loquelae, quae vnica syllaba absoluuntur. Itaque, quid distent syllabae loquelis, ita poterit finiri, vt loquelae signi-

(g) *Lib. II de Causs. L. L. cap. XLVIII, p. 105*

(h) In eo PETRVS RAMVS fuit lapsus; finit enim syllabam hunc in modum, vt *in voce sonus integer* sit

(*) Neque enim voces vnius syllabae, qua vna conceptione constant, loquelae sunt: sed qua huic conceptioni sensus est peculiaris subiectus. Ceterum, PRISCIANVS, *sensu et accentu* loquelas ab syllabis differre ait, *Lib. I, p. 572* quo confirmatur id, quod ante dixi

ſignificatum dicas competere: ſyllabam autem in ſe ſpectatam caſſam ſenſu eſſe

II

CONCEPTIONES, ſi materiem ſpectes, aliae nudis ſinguliſue vocalibus; biuocalibus aliae, atque aliae vocalibus, quae conſonantibus literis ſtipatae ſunt, conſtant: ſed hae conſonantes ſua cum vocali ſenarium numerum excedere non poſſunt. (i) Quantitate, aliae longae: breues aliae; aliae tandem mediae (k) ſunt. quo de argumento plene hic dicere non eſt, licet VOSSII in Ariſtarcho exemplum, ſuadere hoc videatur: ſed quatenus iuſta id in ſcriptione ignorari nequit. Praecipue autem huius loci eſt conſiderare id, quod ſyllabis euenit. accidentia vocant. Siue autem partes quibus conſtant ſyllabae; ſiue ſonum; ſiue earundem formam, ſpecies, varia ſe vndique euenta offerunt. Iam quod literarum ſingularum habitum ſonumque attingit, antecedenti ſum ſectione exequutus. Quae autem conceptionum, finite conſidera-

(i) MARIVS VICTORINVS ita ſyllabas diſpeſcit, vt ſyllabam *vnius literae minimam: quae pluribus autem conſtet, maximam eſſe dicat. Lib. I, p. 2470 et 2471*

(k) Liceat communes ancipiteſque complexiones, ita ex MARII VICTORINI auctoritate inſignire. Vid. *Lib. I, p. 1471*

ratarum, ſonum iuſtamue pronunciationem concernunt, ad tres claſſes reuocari commode poſſunt. quarum vna de *tempore*, altera de *tenore*, atque tertia de *ſpiritu* exponit. quibus *diſcretionis* quaedam *nota*, quam ἀποστροφὴν vocant, vna cum *diacriticis punctis*, adiici poterint. Referunt etiam huc quidam ex priſcis Grammaticis, literarum numerum. (l) Omnes autem ſyllabae in loquela affectiones, *accentuum* (m) nomine veniunt. Eodem etiam in ſignificatu voculationis nomine, NIGIDIO auctore, vti licet. Accentus itaque aut voculatio, eſt *ſyllabae in efflatu et ſcriptu dimenſio.* (n) Porro ſpecialis etiam quarundam ſyllabarum conſideratio non erit negligenda. Atque tandem de ſyllabarum dimenſione ac *diuiſione* exponendum CA-

(l) Vid. PRISCIANVS, *Lib. II, p. 572.* it. ALCVINVS, *p. 2084.* Viſum mihi eſt, vſum, qui e cognitione ordinis literarum redit, non tanti eſſe, vt ſigillatim de ea re exponere neceſſum ſit. quae autem praecipua in hoc capite ſunt paſſim attuli. Ex inſtituto de hac cauſſa PRISCIANVS, *Lib. I, p. 561, ſeq.* egit

(m) Adeo pregnanti in ſignificatu DIOMEDES iſtud vocabulum accipit. *Lib. II, p. 429.* CLEDONIVS, Senator Romanus, ad quaeſtionem: *Quid igitur accentus dicuntur?* ita reſpondet: *Toni dicuntur, et tenores. Expoſ.* in DONATI *artem, p. 1886.* Apud Hebraeos quoque accentuum vocabulum late patet

(n) LIPSIVS pariter accentuum voce compre-

CAPVT II
DE VOCVLATIONE SIVE ACCENTIBVS

I

IN ACCENTIBVS primo de *tempore* agendum. In *tempore* autem morae potissimum, quae syllabae efferendae impenditur, ratio habetur: ita vt longa syllaba dicatur, cuius sonus porrectus est: breuis, quae efferri sine longa mora potest; siue quae in efflatu veluti contrahitur. (o) Nota longae syllabae panda est linea literis superiecta, quae hanc habet figuram: —. Graeci eam τὴν μακρὰν, Latini *apicem* vocant. In brevibus contractior linea, siue sigma supinum ad hanc formam: ᵕ, adhibetur. Atque istae notae, iam ante QVINCTILIANI, (p) ISIDORIque aeuum

prehendi omne id, quod *syllabam afficiat in legendo seu scribendo*, affirmat. Vnde haec, quam suppeditaui finitio, se tueri poterit

(o) Hinc facilius erit ad intelligendum, quod apud SCALIGERVM et antiquiores quosdam Grammaticos inuenitur: *Syllabam longam constare duobus temporibus, breuem vno tempore* Ac id inde scite SCALIGERO dictum videtur, *quod syllaba breuis prior sit, et natura et tempore, quam longa. Lib. II, cap. LV, p. 222*

(p) Vid. *Lib. I, cap. VII*

(q) aeuum vſurpatae ab Romanis ſunt. Apice ſiue longae ſyllabae nota vſi veteres ſunt, ſi qua litera, *alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta eſt facit*: (r) vniuerſe autem vt *ne productionis et correptionis ratio confundatur* (ſ)

II

INSEQVVNTVR iam *tenores*, quibus nomen eſt a fidibus: Etymon enim eſt Graecum τόνος. quod QVINCTILIANVS (t) etiam affirmat. Eſt autem iſtud nomen, ſatis

(q) *Inter figuras literarum*, inquit ISIDORVS, *et apices veteres duxere. Eſt autem linea iacens ſuper literam, aequaliter ducta*

(r) QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. VII.* Parum ab ea ſententia SCAVRVS abeſt. ait enim: *Apices ibi poni debent, vbi iiſdem literis alia atque alia res deſignatur, vt venit et vēnit. p. 2264*

(ſ) DIOMEDES haec diſputat, *Lib. II, p. 429*

(t) *Lib. I, cap. V. Adhuc difficilior*, inquit, *obſeruatio eſt per tenores, (quos quidem ab antiquis dictos tenores comperi, vt videlicet delineato a Graecis verbo, qui τόνας dicunt) vel accentus quos Graeci προσῳδίας vocant.* De προσῳδίᾳ Graecorum expoſuit SEXTVS EMPIRICVS, *Lib. I*, aduerſus *Mathem. cap. V.* Conf. DAVSQVIVM, *Tom. I, p. 141.* SCALIGER a τείνειν, vnde eſt τόνος, id nomen deducit: quoniam, *quod nixu quodam arceremus, id beneficio τῶν τενόντων fiat.* Dein tranſlatam eam ſignificationem ab *holo-garius*,

ſatis rei accommodatum: vt enim fides intentae acutiorem: laxae remiſſiorem ſonum edunt: ita alius tenor ſyllabas acuit ac eleuat; alius deprimit. Vnde etiam DONATVS, (v) CLEDONIVS et alii tenores, *tonos*, ad verbum conuerſa voce Graeca, dixerunt. Praecipue ſtrictiori ſenſu et καθ' ἐξοχὴν *accentus* dicuntur. quaſi *adcantus* dicas, *quod ad cantilenam vocis*, vt iam SERVII AQVILINI verbis vtar, *nos facit agnoſcere ſyllabas.* (x) Alio nomine *faſtigia* ſunt atque *acumina*, quod literis imminent, dicti. (y) *Moderamenta* etiam, *notae*

garius, (quam vocem MARTIALIS de iis adhibet, qui iniecta malo reſti naues deducunt,) docte quidem, ſed vero parum conuenienter aſſerit. *Lib. II, cap. LIII, p. 1205.* Quale autem eſt hoc, quum CLEDONIVS tenores ab *inſtitutione* dictos putat? *p. 1886*

(v) *Pag. 1740 et 1741*

(x) Ad hunc etiam ſignificatum vocis accentus intelligendum, facit ea quam SCALIGER ſuppeditat Notatio: deſcendit enim, eo iudice, a *cano;* id a Graeco χάνον pro ἔχανον, demto Aeolum more augmento. Ad eandem etiam DIOMEDES reſpicit. *Accentus*, inquiens, *dictus eſt ab accinendo, quod ſit quaſi quidam cuiuſque ſyllabae cantus: apud Graecos ideo* προσῳδία *dicitur, quod* προσᾴδεται ταῖς συλλαβαῖς. *Lib. II, pag. 425.* CLEDONIVS accentus ab *acuendo* deducit. l. c

(y) Vid. DIOMEDES, l. c. MARTIANVS CAPELLA, caput, quo de accentibus exponit inſcripſit: *de Faſtigio*.

notae vocum et *accentiunculae* : (z) item *voculationes*, ſpeciatim ſumta voce, conuocantur. Denique Epoche quadam, et non ſine inſigni venuſtate, *anima vocum* et *Muſices ſeminarium* a MARTIANO (aa) ac DIOMEDE (bb) inſigniuntur. Multa ex his tenorum nomina, in ſe finitionis vice eſſe poſſunt. Vniuerſe autem hunc poterant ad modum finiri : *Tenor quoddam eſt complexionis euentum, quo efficitur, vt eius ſonus, aut eleuetur, aut deprimatur.* (cc) Adſunt quidem apud priſcos Literatores, adeo

(z) AVLVS GELLIVS, *Quas Graeci*, inquit, *προσῳδίας dicunt, eas veteres docti, tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant Lib. XIII, cap. VI.* In quem locum PETRVS MOSELLANVS ita commentatur : *Προσῳδία accentus eſt, quo nomine vtuntur in primis* PRISCIANVS *et* DIOMEDES. *Nimirum ſequuti nominis Etymologiam, ſiquidem Graecis πρὸς ad ſignificat, ᾠδὴ carmen vel cantus. Eſt enim re ipſa aliud nihil accentus, quam cantiuncula quaedam et modulatio, quae adhibetur ſyllabis dictionum*

(aa) *Lib. III, cap. de faſtig*

(bb) *Lib. II, p. 425*

(cc) Differunt itaque accentus a vocalium vt VOSSIVS monet, quantitate : a pronunciatione autem, quum eam parum callemus, diſtinguere tenorem ardua res eſt. Vid. GELLIVM, *Lib. IX, cap. VI.* et PERIZONIVM ad SANCT. MIN. *Lib. I, cap. III, p. 25*

adeo multae tenorum finitiones, vt sua iam videantur mole laborare: iustam vero, et quae suis numeris absoluta sit, apud eos inuenire non potui. Alii enim in eo quod obiectum tenori est, fuere lapsi: (dd) alii *legem, regulamue*, perperam definitionis genus fecerunt: (ee) quum tamen non ex legibus tenor: sed ex tenore leges pendent. Est autem tenor triplicis omnino generis, *acutus* nempe, *grauis* atque *flexus*. (ff) Acutus est *qui intendit complexionem ac eleuat*. (gg) Notatur haec vocis leuatio, virgula in dextram, pro eo quo scribimus tractu,

(dd) Huc referendus DIOMEDES, qui *orationem* constituit subiectum, in quo tenor versetur, quum tamen syllaba est. l. c

(ee) In his PRISCIANVS est, quem videsis, *Lib. de Accent. p. 1286*. CLEDONII definitio, quae *1886*, habetur, plane in orbem redit. quem tamen nollem eo nomine notari: possumus enim his in caussis, finitionibus, ad Dialecticorum regulas exactis, omnino carere. RAMI haec est: *Accentus est quo vox veluti accipitur.* SCALIGERI vid. *Lib. IV Poet. cap, XLVII*

(ff) *Mira est*, inquit Orator Philosophus, *natura vocis, cuius quidem e tribus sonis, inflexo, acuto et graui, tanta sit et tam suauis varietas profecta in concentibus*

(gg) VOSSIVS et SCALIGER, ab effectu leuationem acutum dici tenorem existimant: quoniam nempe aures ferit. VOSS. *Lib. II, cap. VII, p. 182.* SCALIG. *L. II, cap. LIII, p. 118*

tractu, inclinata, in hunc modum : ′. (hh) Grauis (ii) tenor inde dicitur, quod vocem demittit, et vt ita cum PRISCIANO loquar, *deponit*. Atque haec depreſſio virgula ad ſiniſtram àſſurgente notatur : ‵. Flexus (kk) denique tenor eſt hic, *qui eandem ſyllabam et eleuat et deprimit, grauioremque vocem reddit*. In nota eius, virga arcuata faſtigio pleno habetur, in hunc modum : ^. (ll) in cuius locum, lunata etiam teſtudinataue ◡, interdum eſt vſurpata. MARTIANVS etiam CAPELLA, qui

(hh) Conf. DIOMED. *Lib. II, p. 429*, et LIPSIVS *cap. XVIII, p. 58*. SCALIGER obliquatae virgulae rationem reddit hanc, qua diuerſitas inter acutum atque grauem melius in obliqua; quam in recta linea intelligi poſſet

(ii) SCALIGER inde hunc tenorem, grauis nomen indeptum eſſe exiſtimat, *quod vocem in guttur et pectus demittit*, l. c

(kk) Multi ex Grammaticis, *circumflexi* nomine ſunt vſi. quam ob rem dicam ipſis SCALIGER ſcribit. Poſtquam enim, monuerat, Graecos συσπώμενον rectius quam περισπώμενον flexum dixiſſe ; noſtros *ad celeritatem*, inquit, *potius pingentis manus reſpexiſſe, quae vnico motu virgulam arcuatam, demto angulo fecerit*. l. c. Notandum autem nomen flexo non a figura eſſe, ſed a poteſtate eius

(ll) Graphice hanc formam deſcribit VICTORINVS, quum eam *tranſuerſa litera V notari* dicit

eam *sigma deuexum* (mm) nominauit; variis quaestionibus ansam praebuit. Sed vno DIOMEDIS loco omnis haec lis componitur. ait enim: notam circumflexi, etiam *a C deorsum stante* factam. (nn) Vnde colligi potest, sigma deuexum a C esse litera sumtum. In his tamen flexi notis, ea quam primo loco commemoraui, optime huic tenori respondet: coalita enim est a grauis acutique notis; vt syllaba etiam, quae ea insignitur, binis in vnam concretis constat, quarum altera acuto, graui altera, fuisset notanda. Tenorum autem notae sequiori sunt aetate adinuentae: (oo) nam neque in numis, neque literatis in lapidibus reperiuntur. At enim vero, sunt qui sibi acutos videre Romae, in

(mm) *Inflexi*, inquit, *signum est sigma super literas deuexum. Lib. III, cap de fastigio.* Atque in Basiliensi quidem, vt VOSSIVS refert editione, V inuersum adiectum; in Lugdunensi autem flexilis ~. Sed parum hae figurae, cum CAPELLAE verbis, conueniunt

(nn) *Lib. II, p. 229*

(oo) Quin, apud Graecos etiam tenorum notas non esse antiquissimas, inde potest colligi, quod POLITIANVS refert, Hymnos CALLIMACHI, sine accentibus fuisse exaratos. In Langiano etiam APOLLONII codice, quem DAVSQVIVS vidit, accentus non inueniuntur. Vid. DAVSQVIVM *Tom. I, p. 143*, et quae praefatus sum

in monumento viae qua Ostiam itur, videantur. Illud ita habe:

D. M
T. FLÁVÍVS CONSTANŚ ṔṔ SIBÍ
EТ́ SVIŚ LIBERTIŚ LIBERTABVS
QVÉ POSTERISQVÉ EORVM SE
VIVVS INCHOAVIT ET FLAVII
SABINVŚ ET́ CHRESTVŚ LIBER-
TÍ EТ́ HEREDES EIVŚ CVM MA
CERIA CLVSVM
CONSVMMAVERVNT

Ibidem in area domus Cardinalis CAESII:

Q. CAECILIO
FERÓCI
KÁLÁTÓRI. SACERDOTII
TITIÁLIVM. FLÁVIÁLIVM
STVDIÓSÓ
ÉLOQVENTIAE cet.

 Ali-

Aliam in aedibus ANTONII cuiusdam de CONTRARA, SMETIVS vidit. DELPHINIORVM pariter in domo, et via Praenestina apices in monumentis conspiciuntur. quos LIPSIVS iam descripsit. (pp) In CAII etiam et LVCII Caesarum Cenotaphiis apices nonnulli, sed lunata forma, conspiciuntur, vt MÁNIBVS, LV́CTV, ÁTRI. Verum enim vero, ipse virgularum his in lapidibus positus arguit, incassum hic tenorum notas quaeri. Qui enim fieri potest, vt geminus acutus vni loquelae superiiciatur, vt in FLÁVÍVS aut KÁLÁTÓRI? aut quo pacto acutus tenor primam occupare syllabam potest, vt in ÉLOQVENTIAE? Insuper etiam repugnat, veteres vnum acutum nota donasse, grauem et flexum non item. Itaque apices hic haberi fatendum erit, id est longarum, pro temporis mensura, syllabarum indices, qui hic acutorum formam mentiuntur. Sed iusto loco non sunt collocati. Quae quum ita sint, num vniuerse sint scribendae tenorum notae, pendeo animi: quum enim apud veteres tenoris maxime ratio habita fuerit; licet signa ista ignorauerint: quid ni et hodie tenorem

(pp) *Dial. de Pron. L. L. cap. XIX, p. 56*

rem abſque ſignis dignoſcere poſſimus? ſuadent autem Grammatici, vt diſcretionis potiſſimum atque intelligentiae ergo, cuiuſque dictionis tenorem ſua nota inſigniamus. (qq) Poterant etiam commemorare: ſaluam hodie pronunciationem futuram: ſi iſtae notae adiectae ſubinde fuiſſent, vt ne itaque in peius ruat pronunciatio, magiſque deprauetur, notas eſſe literis ſuperiiciendas. Sed mihi quidem magis, cum LIPSIO, *priſcus mos placeat: quem in his talibus teneam (audeo dicere) etiam contra rationem.* (rr) Neque etiam ſocordiae atque incuriae alimenta praebenda his: qui iuſtas tenorum cognoſcendorum regulas, ſuſque deque habent (ſſ)

(qq) Quid, quod PRISCIANVS tenores, et notas tenorum, ita inter ſe confundit, vt tenorum in finitione ſubinde vocem *nota* adhibeat. quaſi vero eſſe tenor ſine nota non poſſit. Vid. *Lib. de Accent. p. 1286.* Commendant autem notas, MARIVS CORRADVS, FALSTERVS, alii

(rr) *Loc. c. cap. XIX, p. 56*

(ſſ) Habet quidem ea cognitio aliquid difficultatis. Vid. ARISTOTELES, *Lib. de Soph. Elench. cap. III.* Conf. SCALIG. *Animad. Euſeb. p. 81.* VOSS. *Lib. II, cap. VIII, p. 148*

III

DE TRIPLICI tenore, (tt) quaedam ſunt regulae tenendae, quarum generales aliae; aliae ſpeciales, aliae ſpecialiſſimae ſunt. In generalibus prima haec eſt: nulla neque vox neque ſyllaba tenore caſſa eſt: tenor enim in his eſt ſyllabarum affectionibus, quae iis ſubinde adhaerent: nec poteſt etiam ſyllaba ita efferri, vt nec eleuetur ſonus; nec deprimatur; nec flectatur: licet id in pluriſyllabis magis, quam in biſyllabis, aut vniſyllabis ſentiatur. immo vero, ne poteſt quidem quarta tenorum ſpecies fingi. (vv) Altera lex haec eſto:

(tt) Praeclare de hac re expoſuerunt, PRISCIANVS, CAPELLA, DIOMEDES, MAXIMVS VICTORINVS atque MARIVS CORRADVS. Sed inter ſe tenores atque tenorum ſigna, vno MAXIMO VICTORINO excepto, veluti confuſum aliquod Chaos miſcuere. Nec mirum, ita eos inſtituiſſe, quum eo quo ſcriberent tempore, tantum non vbique iſte notarum vſus inoleuiſſet. SCALIGER item atque LIPSIVS, ita hac de materie exponunt, vt omnia ad tenorum ſigna retuliſſe videantur. Eſſe autem ea omnino diſtinguenda, tum ex iis quae ante dicta a me ſunt; tum ex CICERONIS, *de Orat. cap. XVIII*, et GELLII, *Lib. IV*, *cap. VII*, *p. 97*, intelligi poteſt. Conf. PERIZONIVM, ad SANCT. MINERV. *cap. III*, *p. 23*

(vv) *Omnis*, inquit SCA-

esto: non potest vna in loquela, neque acutus neque flexus, bis adesse; (xx) grauis potest. (yy) Porro insit cuique vocabulo aut acutus aut flexus tenor necessum est. (zz) Vltima in generalibus est haec:

SCALIGER, *dictio aut habet acutum: aut grauem: aut circumflexum. Lib. II, cap. LIX. p. 127.* Hinc locus huic praeceptioni datus: cuique vnisyllabae voci, aut flexum competere tenorem, aut acutum. Vid. VOSS. *Lib. II, cap. IX, p. 186.* et PRISCIANVS hanc etiam ob caussam, accentum, *legem esse ad eleuandam, et deprimendam syllabam vniciusque particulae orationis*, refert. *Lib. de Accent. p. 1286.* Atque paullo post admodum circumspecte, *obseruari* tantum vnum accentum, in integris dictionibus, non esse monet

(xx) MARIVS VICTORINVS testatur, *in omni parte orationis latinae*, non posse *amplius quam vnum* vel acutum vel *circumflexum esse. p. 1924.* Idem MARTIANVS CAPELLA luculenter probat. Add. PERIZON. ad SANCT. MIN. *cap. III, p. 24.*

(yy) Ille tenor ob hunc locupletissimum vsum, *syllabicus* fuit dictus. Vid. SCAL. l. c. *p. 127*

(zz) Locuples ea in re testis est, MAXIMVS VICTORINVS. *p. 1942*, QVINCTILIANVS vero negotium facessat, vt qui *omni in voce acutam* syllabam esse contendit: quum flexus id cum acuto communiter habet. Sed acuti nomine FABIVS procul dubio flexum, qui acuto et graui constat, compre-

non poteſt vnam loquelam acutus vna cum flexo tenore ingredi. Cuius legis ratio ex altera illa poteſt reddi, qua cautum eſt, vt ne acutus, bis vna in loquela ponatur: nam in flexo acutus continetur. (a) Ad speciales tenorum regulas retulerim hanc: acutus intra tres a fine ſyllabas cohibetur. (b) quam etiam ipſa ratio probat: ſi enim in

prehendit. Iuuant hanc expoſitionem ea, quae ſtatim ſubiicit verba: *Ea vero*, inquit, *quae ſunt ſyllabae vnius, erunt acuta aut flexa, ne ſit aliqua vox ſine acuta.* Alio in loco, *Eadem*, ait, *flexa et acuta*

(a) Tenendum etiam hoc, quod per ſe patet, vnius ſyllabae, eſſe non poſſe niſi vnicum tenorem. vt autem eo minus in eo erres, diligenter conſiderandum, quid accentum ac quantitatem metricam interſit: nam *vocalis natura, et accentus et quantitas metrica*, vt iam PERIZONII verbis vtar, *ſimul concurrunt in vnam ſyllabam, vel potius accentus, et illa quantitas, ſaepe accommodant ſeſe naturae vocalium* ad SANCT. M. *cap. III, p. 28*

(b) QVINCTILIANVS, qui princeps eſt hoc in argumento auctor, iiſdem fere verbis, *Lib. I, cap. V*, vtitur. Add. MAR. VICTORINVM, *p. 1942.* SCALIGER, cui haec regula non arridet, his pugnat rationibus. I) Latinos imitatione Graecorum potius, quam conſilio hanc regulam admiſiſſe: II) poſſe eodem tenore, tam in voce, quam tibia, aut fidibus, multos vel breues vel longos ſonos deduci: III) ſi ante acutum plures

in multiſyllabis vocem in quarta, aut quinta a fine ſyllaba efferas, id ſane aures offendet: vt quae non probant, tantum ſyllabarum numerum inclinari atque deprimi. porro acutus tonus vltimam tenere in his, quibus ſunt ſyllabae vna plures, nequit. (c) Itaque in loquelis, quae duabus ſyllabis

res ſyllabae graui pronunciari poſſint: etiam poſt eum totidem poſſe. *Lib. II, cap. LVIII, p. 126 et 127.* Primo autem argumento nulla ineſt ad euincendum vis: altera ratio a poſſe ad eſſe, (liceat Dialecticorum more loqui,) procedit. quod eſt praecipitare: tertium varium eſſe aurium iudicium euincit

(c) Vt ne ſiniſtre haec regula accipiatur, notandum hoc: eam vniuerſe de fine vocis, ſiue ille loquelae ſit, ſiue enclitica, quam vocant, vox. Huc MARTIANI CAPELLAE locus ſpectat, qui de *que*, *ne*, *ve* et *ce*, (eam enim PERIZONIVS e manuſcripto reddit,) eas *partes extremas vocum*, *quibus adiunguntur*, *acuere* teſtatur, vt *ſuaueque linguaque*. Nec obſtat SERVIVM dicere: *Pronunciationis cauſſa, contra vſum Latinum, ſyllabis vltimis, quibus particulae adiunguntur, accentus attribui:* enclitica enim vox, ita naturam loquelae ſubit, vt pro vltima eius ſyllaba habeatur. Audias MAXIMVM VICTORINVM: *Acutus*, inquit, *cum apud Graecos tria loca teneat, vltimam et ei proximam ſyllabam, et antepenultimam; apud nos duobus tantum locis poni poteſt. Quibus? aut in penultima ſyllaba, vt praelegiſtis; aut*

labis abſoluuntur, in prima vt fixam acutus ſedem habeat, neceſſum erit. quod QVINCTILIANVS etiam perdocet. Porro ſi in voce, tribus ſyllabis inſtructa, acutus, obtinuerit, medium occupabit. In iis autem quae pluribus ſyllabis conſtant, ter-

aut ea quae a fine eſt tertia. vt praelegimus. p. 1942. Idem aſſerunt, QVINCTILIANVS, *Lib. I, c. VII*: GELLIVS, *Lib. VII, cap. VII*: PRISCIANVS, *Lib. de Accent. p. 1287*: DONATVS, *Edit. I, p. 1740.* Itaque, dandum hoc, encliticas voces in ſyllabis eſſe: alias enim ea quae hi doctiſſimi homines praecepere, iam non cohaererent. At IVL. CAES. SCALIGER, vt vniuerſe tenorum regulas, ita hanc etiam ſuſpectam reddere annititur: *Acuti poſitus*, ita arguit, *aut exigit alios conſequentes, aut non. Si exigit igitur non eſt ponendus in fine vocum ſeparatarum: ſi non exigit, ergo in conſequentia quoque poni potuit. Lib. II, cap. LVIII, p. 129.* Verum enim vero, vniuocae loquelae huc non pertinent: in iis enim poni acutum nulla conſequente ſyllaba, quum alia non adſit, de neceſſitate eſt: in pluriſyllabis non item. Inſuper Genio etiam linguae Latinae videtur repugnare, quando vltima in multiſyllabis attollitur: id vero acutus, quem *ſummum* inde *tenorem* NIGIDIVS dicit, omnino exigit. Apud Graecos vero, vt ſunt linguae diuerſae, ſecus eſt: nam acutum in fine collocat, licet *formam grauis vtplurimum referat;

tertiam ab vltima teneat. (d) Grauis tenor, vt ad hunc transeam, quamque syllabam, ab acuto et flexo immunem occupet. Atque adeo hic tenor sibi locum non *vindicat*, *sed dimissum ab aliis possidet*. (e) Inde consequitur, *vt per se nunquam esse in vllo verbo vnius complexionis possit*: (f) nam in his acuto cedit: dein, vt *primarius* sit tenor in fine bisyllabarum multisyllabarumue; in reliquis *accessorius*. (g) Denique de flexo ita habe: eum in quauis voce, si ab vnisyllabis recedas, penultimum locum tenere. (h) Itaque in fine multisyllabarum reponi flexus nequit; (i) in vnisyllabis potest. In antepenultima collocari propter hanc caussam non potest, quod ex acuto atque

graui

(d) Regulae hae, ad vnam omnes e FABIO sunt, l. c, petitae

(e) CLEDONII ista verba sunt, quae habentur, *p. 1887*

(f) Ita DIOMEDES, *Lib. II*, *p. 425*, effert. CAPELLA et ipse, *monosyllaba graui carere* docet

(g) Hanc distinctionem, suo sibi MARTE SCALIGER obseruasse videtur. *Lib. II, cap. LIX*, *p. 127*

(h) Vid. DIOMEDEM, *Lib. II*, *p. 425*: PRISCIANVM, *Lib. de Accent. p.* 1287: MAXIMVM VICTORINVM, *p.* 1942: SCALIGERVM, *Lib. II*, *cap. LX*, *p.* 128

(i) DONATVS excipit in voce *ergo* vltimam tenere flexum, *p. 1741*: MAXIMVS VICTORINVS et PRISCIANVS addunt *pone*, falli hos infra dicam

graui coalefcit. Itaque finge, eum penultimae conceffum effe, et diffolue eum autem fuas in partes: iam acuta in quarta a fine inde vocis fyllaba reperietur. quod, vt ne fiat, lege eft a FABIO cautum. Ad fpecialiffimas regulas ventum, quae eo fpectant, vt ne qua, acuti atque flexi permutatio, in lectu fiat. In vnifyllabis, vt ab his ordiar, acutus tenor adeft tum, quando vocalem bigae confonantium, aut duplex aliqua litera confequuntur, vt *nix*: vel fi breuis etiam in fe eft, vt *far*: (k) fin minus flexus ei tenor addicendus, vt *flos*, *fol*. Bifyllabae voces et ipfae, fi primam breuem ex fe; aut porrectam pofitu habuerint, acutum; fin minus, flexum recipiunt. (l) In iis, quibus multae fylla-

(k) Iftas regulas omnes, qua fenfum apud DIOMEDEM, *Lib.II,p.* 426, reperies. DONATVS etiam *correptis* vnifyllabis acutum; *productis* flexum afferit. *p.* 1741. MAXIMVS VICTORINVS, vnam fpeciem omittit, cetera confentit. *p.* 1942. Vid. etiam CLEDONIVM, *p.* 1887

(l) DIOMEDES *iambum* acuto; *trochaeum legitimum* flexo danandum putat effe: quocum CLEDONIVS confentit. Res eodem redit. Eft autem notandum hoc: penultimam in his, quarum vltima longa eft, flecti non poffe, quantumuis id regulae, quas commemoraui exigant. Itaque CLEDONIVS: *Si pofterior*, in bifyllabis inquit, *producta fit, prior feu longa feu breuis, acuatur neceffe eft*, *p.* 1943

ſabae ſunt loquelis, ad antepenultimam potiſſimum reſpiciendum. quae ſi breuis per ſe fuerit, in ea quae proxime antecedit, acutus erit locandus, vt *populus*: ſi poſitus in ea obtinuerit, ipſi penultimae acutus erit tribuendus tenor. Quando autem longa per ſe fuerit, flectenda eſt. (m) Grauis licet vbique, vacuam ab acuto et flexo ſedem, occupet: aliis tamen in locis aliter, quam in aliis effertur. Apprime autem neceſſarium eſt eum fortius enunciari, in fine plurisyllabae vocis: (n) item ſi in multiſyllabis, longa fuerit poſitu antepenultima, graui aliquanto vehementius pronunciabitur; (o) id eſt *primario* his ſyllabis com-

(m) DIOMEDES, *p.* 427: PRISCIANVS, *p.* 1289, et DONATVS l. c. eandem rem, adſperſis variis obſeruationibus proſaicis, proponunt. Sed hic etiam quaedam vltimae ſyllabae ratio eſt habenda: ea enim vbi longa fuerit, flexo locus noneſt; licet antepenultima longa ſit. idque DONATVS, *Edit. I, p.* 1741, refert. Quum autem de poſitione dictum fuit, monendi hi, qui nondum initiati ſunt Proſodia, iſtud, quod dictum de poſitu eſt, non valere, ſi muta et liquida vocalem conſequantur. quod DONATVS etiam l. c. monet

(n) LIPSIVS non videtur hoc omnino probare. l. c. *cap. XX, p. 60*: ſed. SCALIGER, *Lib. II, cap. LIX, p.* 127.

(o) Vid. DONATVM. l. c, *et* TERENTIANVM MAVRVM, p. 2412.

competit. Tandem notandum etiam hoc, grauem accentum non nunquam in acutum, ob vocis incrementum, vel quod idem eſt, ſi qua enclitica dictio accedat, conuerti (p)

IIII

REGVLIS his accentuum cognitis: facile iam erit ad intelligendum, quid ſibi veteres Grammatici velint, quum ἄρσιν nominant frequenter atque θέσιν: nam ἄρσις, quam Latine *vocis elationem* dixeris, eo ineſt, vt in ſyllaba efferenda, vox eleuetur aliquanto atque tollatur: θέσις (q) autem, quam *aequabilitatem* vocaueris, obtinet tum, quando demittitur iterum in conſequen-

(p) Lucidum eius rei apud PRISCIANVM exemplum adeſt, quod iam adferam: *Neceſſitas*, inquit, *pronunciationis regulam corrumpit, vt puta ſi quis dicat, in primis doctus, et addat que conviuctionem, et dicat doctuſque: ecce in pronunciatione accentum mutauit, quum non in ſecunda ſyllaba, ſed in prima accentum habere debuit. Lib. de Accent. p.* 1288

(q) SCALIGER hic minus commode θέσεως vocabulum vſurpari opinatur, quod ſignificatio eius lata nimis atque vaga ſit: *Nam in acuta quoque*, inquit, *ponis vocem.* Sed multa ſunt apud SCAPVLAM exempla, quibus conſtat, θέσιν interdum *depoſitionem* ſignificare. Itaque quaecunque ſyllaba acutum, aut flexum *depoſuit*, θέσει erit, id eſt graui, inſignienda

quente syllaba vox, et vniuerse vbi ἄρσις non adest. (r) Ex his apparet, nomen ἄρσεως et acuto et flexo competere tenori: θέσεως graui

V

QVVM de iusto tenorum vsu dictum est: de notarum quoque, quibus tenores insigniuntur, recta atque spuria collocatione, quaedam videntur, in eorum gratiam qui his fauent, esse subiicienda. Quantum quidem ad acuti attinet flexique notas, illae ad regulas ante commemoratas, suis sunt complexionibus superiiciendae; et quidem ita vt vocali immineant literae. Grauis vero tenoris notam, adiiciendam non esse, Literatores censent, quoniam tantum *vnus accentus*, vt PRISCIANVS ait, *in integris dictionibus obseruatur*. (s) Hinc

(r) PRISCIANVS id luculenter probat: *In vnaquaque*, inquit, *parte orationis, arsis et thesis sunt, non in ordine syllabarum, sed pronunciatione, velut in hac parte, natura; vt quando dico, natu, eleuatur vox, et est arsis in tu: quando vero ra, deprimitur vox et est thesis. Et tu quantum suspenditur per arsim, tantum deprimitur per thesim. Sed ipsa vox quae per dictiones formatur, donec accentus perficiatur, in arsim deputatur: quae autem post accentum sequitur, in thesim, Lib. de Accent. p. 1289*

(s) *Lib. de Accent. p. 2287*

Hinc erui obſeruationes hae poterunt: *in* quauis loquela vnicam tantum tenoris notam reponendam: vna nota quamuis vocem eſſe inſtructam oportere. Has autem leges recentiores neglexerunt, aliaſque, non adſtante LVCINA, excluſerunt: adeo, vt tot fere diuerſae, collocandarum notarum rationes: quot cerebroſi Literatores fuere, inueniantur. Primo enim in eo fuere lapſi, quum apices, de quibus alio loco verba feci, in accentuum notis habuerunt. Porro, dum exiſtimauerunt, accentuum notas vnice vocibus dignoſcendis inſeruire. quod tamen QVINCTILIANVS ad apices refert. (t) Hinc prono aluo, iſti qui conſequuntur errores fluxere. I) Vt ſextis caſibus, in A exeuntibus, data ſit nota ^, quo ab recto dignoſci eo commodius poſſint, vt *metâ*. Atque doctiſſimos quoſque, qui ſaeculo XVI et initio XVII ſaeculi vixere viros, (v) eo ſcriptu delectatos

(t) Hoc in errore DONATVS eſt conſtitutus. ait enim: *in Latinis nunquam acutus accentus in vltima ſyllaba poni poteſt, niſi diſcretionis cauſſa, vt in aduerbio pone; ideo ne verbum putetur imperatiui modi: neque circumflexus, niſi in ea particula, quae eſt ergo. Edit. I, p. 1741.* Conf. PRISCIANVS, *Lib. de Accent. p. 1288*

(v) Differunt tamen in eo, vt alii ſemper, quando A porrectum fuerit,

tos video fuiſſe. Sed vitio non caret. Nam nota ^, his in loquelis, aut flexi eſt tenoris, aut acuti nota. iam, ſi hoc obtinet, volunt autem ita ſtatui, in forma peccatum erit: ſi illud, regulis antea allatis ea res obuerſabitur: negatum enim fuit, vllam loquelam diſſyllabam in fine ſuſtinere flexum poſſe. II) Voces συγκοπεῖσαι flexo notantur, vt *deûm* pro deorum. Auctor autem ipſis ſim, vt TVLLIVM (x) audiant, qui contractionem vniuerſe reprehendendam, Poetiſque relinquendam eſſe cenſet. III) Aduerbia et praepoſitiones acuto inſigniri volunt, (y) vt diſcerni aliis a vocibus poſſint, vt *itáque* aduerbium *ítaque* coniunctio erit. Sed id de neceſſitate non eſt, quum ex orationis compage intelligi poteſt. Aliud inſuper vitium committunt, quum in aduerbiis, *benè*, *ſaepè*, *ritè* aliis, grauem pro

R 2 acuto

fuerit, ornamenti loco, " adhibeant: alii, non niſi in his, quibus eadem in ſexto ac in rectis, literae ſunt. Vid. DAVSQVIVM, *Tom.I, p.146.* Ceterum, CELLARIVS hunc flexum *ſimiliorem duplicato tecto eſſe* ait, *ne perpluat*

(x) *Atque etiam a quibuſdam,* inquit in Oratore, *ſero iam emendatur antiquitas, qui haec reprehendunt: nam pro deum, atque hominum fidem, deorum aiunt*

(y) CHARISIVS, DIOMEDES et PRISCIANVS, qui e Graecis id probare ſuſtinet, eadem haerent in opinione

acuto venditant. vt iam non dicam, acutum in fine non obtinere: quod si autem grauem esse dicas, regula obstat, qua grauem scribendum omnino non esse praecipitur

VI

OMNIS haec de tenoribus, eorumque notis disputatio, eo spectat, vt *recta et legitima verborum expressio per syllabas* (z) obtineatur. Dolendum itaque, vocum moderamenta hodie ita esse deprauata, vt prorsus sint aliena a veterum, quam ignoramus, pronunciatione. Non iam dicam ἰωτακισμοὺς, λαμβδακισμοὺς, ἰσχνότητας et πλατυασμοὺς, *vitia oris et linguae* committi, *quae scripto*, *vt* QVINCTILIANVS refert, *demonstrari non possunt*. Sed ipsos etiam tenores pessime efferri. de quo docti homines passim conqueruntur. (aa) Est autem prae-

(z) Haec est pronunciationis, quam LIPSIVS dedit, finitio. *Dial. de Pron. LL. cap. IV, p. 17.* Aliam, quae non longe ab hac abest, apud DIOMEDEM, *Lib. II, p. 431*, et MAXIMVM VICTORINVM, *p. 1938:* item apud MARIVM VICTORINVM, *p. 2453*, reperies

(aa) Vt ERASMVS Roterodamus, in *Dialogo de recta Latini Graecique sermonis Pronunciatione:* LIPSIVS, *in Dial. cap. IV.* PERIZONIVS *ad* SANCT. M. *Lib. I, cap. III p. 25.* Diuinatus est ea de corruptela CICERO, *Orat. cap. XLVIII, p. m. 164*

praecipua corruptela haec: vt quantitatem, quam vocant, abs tenore vel accentu distinguere iam non possimus. (bb) Porro, varietatis inter grauem, acutum et

R 3 fle-

(bb) DES. ERASMVS *Rot. in Dial. de recta Lat. Graecique Serm. Pron. Opp. p.* 787 (edit. FROBEN. *Basileae Ann.* 1540,) VRSVM hunc in modum facit loquentem: *Sunt adeo crassi* (recentiores Literatores innuit) *vt non distinguant accentum a quantitate, quum sit longe diuersa ratio. Aliud est enim acutum*, (efferre,) *aliud diu tinnire: sicut aliud intendi, aliud extendi: quanquam nihil vetat eandem syllabam et acutum habere sonum et productum tempus, velut in risi et legi praeteritis.* PETRVS item MOSELLANVS, *Longe differunt*, inquit, *pronunciatio siue accentus in soluta oratione et ligata*, ad A. GELLII *Lib. IV cap. XVII.* PERIZONIVS existimat PRISCIANVM, et aequales Grammaticos, omnem *rationem toni retulisse ad quantitatem metricam syllabae penultimae*, et statim subiicit: *Quod et antiquiores Romanos fecisse nullus dubito.* l. c. *p.* 24. Prouocat ad GELLII locum, qui habetur, *Lib. II, cap. XVII, p.* 49 vt et alium, *Lib. IV, cap. XVII, p.* 106 *et* 107. quibus in locis de quantitate quidem metrica; minime autem de tonis agitur DAVSQVIVS autem plane hoc negat. ait enim: *Neque quemquam turbet, quod accentum cum syllabae modo, seu quantitate videmur confundere: non confundimus, sed forte fit, vt idem accentus longam insideat, cumque eius quantitate concurrat. Tom. I, p.* 158

flexum, pro diuerso quo collocantur loco, nulla in dictu ratio habetur: enimuero, FABIVS *aures consulens suas intellexit, multum referre, vtrumne longa sit quae cludit, an pro longa.*(cc) Maioris ille error est momenti, quum nemo est, qui acutum flexumue ita efferat, vt dignosci ab se ac discerni vllo modo possint. (dd) Videtur autem (definire enim non ausim) acutus tenor ita pronunciandus esse, vt momentaneus conceptionis, qua suffulcitur, sonus sit: contra ea autem, syllaba, cui flexus asseritur, ampliori vocis ductu eloquenda; eique aliquanto esse immorandum videtur, vt veluti conglomeratus ille, ex acuto et graui tenor percipiatur. Est etiam hoc in pronunciationis vitiis, quum *adeo ἄμεσοι sumus, vt omnes acutas syllabas* (ERASMI verba

(cc) Vide ERASMI, in hunc QVINCTILIANI locum, *ἐπίκρισιν*, l. c. *p. 791.* Ego quidem ita eum exposuerim, multum interesse, vtrum grauis primario in fine obtineat, an vero, encliticae dictioni tribuatur. Si de quantitate eum intelligere malueris, equidem non repugno

(dd) VRSVS apud ERASMVM, exemplo a voce *luctus* sumto, id proponit: siue enim recto, siue *paterno casu*, id est, siue circumflexus, siue acutus primae syllabae tenor fuerit, vno effertur eodemque modo. Putat autem ERASMVS, tantum acutum et flexum interesse tenorem; quantum *tonum* et *semitonium*, aut *tonum* et *ditonum*. l. c.

verba refero) *ſonemus productiore mora*, *graues omnes corripiamus*. (ee) quin immo, quo ſit modo grauis pronunciandus, penitus ignoramus, tantum abeſt, vt primarium et ſecundarium eius ſonum voce efformare calleamus. Itaque conclamatum fere de iuſta pronunciatione videtur eſſe: nec eſt, quod quis laudem, qua PONTIVS PAVLINVS, ab AVSONIO exornatur, affectet; ſe ita *perite*, *concinne*, *modulate et dulciter*: *ita iuxta naturam Romanorum accentuum loquelas enunciauiſſe*; *vt tamen veris ac primigeniis vocibus ſua faſtigia non perierint*. Atque vereor, ne huic malo medicina dici non poſſit (ff)

(ee) Eo nomine inferiores nos brutis animantibus eſſe opinatur. *p*. 289

(ff) At vero, ERASMVS id molitur. VRSVM enim ita facit loquentem: *In depreſſione* (puta grauem tenorem) *nec anxie ſeruandum eſt*, *vt omnes quemadmodum dixi*, *ſyllabae eodem tenore*, *velut eadem ſonentur chorda*, *praeter eam quae acuitur*: *quod genus ſi dicas legeramus*, *abominanda*, *horrenda*, *non referenda*, *prima legeramus poteſt ſonari in nete*, *(fingamus enim hanc eſſe*, *quae grauiſſimam edit vocem*,*) ſecunda in paranete*, *tertia in parameſe*, *quarta rurſus in paranete*. *Rurſum in abominanda*, *primae duae ſonari poſſunt in parameſe*, *tertia in meſe*, *quarta in parynate*, *quinta in meſe*. *Item horrenda*, *prima ſona-*

VII

NVLLA est omnino vox sine spiritu: (gg) sed dilatatur in aliis vocibus; in aliis non. Hinc asper atque lenis *spiritus*, in complexionum euentis, considerandi veniunt. Varia his spiritibus nomina imponuntur. Asperum PRISCIANVS (hh) *daseam;* DONATVS (ii) *dasiam*; Graece δασεῖαν vocant: *flatilis* item a PRISCIANO et GRILLO; atque tandem *densus* dicitur. *quod eo stipatur spiritus vberior, ac frequentior inter fauces.* (kk) Lenem PRISCIANVS ac DONATVS *psilen*; PHOCAS *psilan*, a Graeco ψιλὸς dicunt: REMMIVS PALAEMON *exilem*; alii *laeuigationem.* (ll) Poterit iam his ex nominibus, vtriusque spiritus

sonari potest in lichano, secunda in hypate, tertia in parypate. Denique, non referenda, primam sones licebit in paramese, proximam in paranete, antepenultimam in nete, penultimam in paramese, vltimam in nete. LEO. *Hic desidero meam citharam p.* 720. Probe et VRSVS et LEO fecerunt, multo sum quam ante incertior

(gg) Vid. SCALIGERVM, *Lib. II, cap. LIII.* p. 120

(hh) *Lib. de Accent.* p. 1287

(ii) *Edit. I, p.* 1742

(kk) *Vid.* SCALIG. l. c.

(ll) Id autem perperam fieri SCALIGERO videtur, quod non *ipsa* ψιλὴ *laeuigat vocalem, sed nota est vocalis laeuigatae.* l. c

ritus finitio haec peti: *Asper est, in quo pulmo animae praelargus; leuis in quo parcius anhelat.* (mm) Lenis itaque spiritus tenuiter, vel vt SEXTVS EMPIRICVS effert ψιλῶς ἐκφέρεται. De aspero tenendum, posse eum quidem vocali cuique iungi: *seruatum* autem *diu*, *ne consonans aspiraretur*, *vt in Graecis*, teste FABIO, *triumpis*: sed *erupuisse breui tempore nimium eius vsum*; ita vt R etiam literae, dissuadente VARRONE, subiiciatur, vt in *Rhamnusia*. immo, aliis etiam consonantibus literis, vt HLVDOVICVS et HLVTARIVS

VIII

LATINIS vna tantum suppetit spiritus nota, nempe H. *quae si necessaria esset; etiam contrariam sibi posceret.* (nn) Atque hac asperus spiritus indigitatur. Figura huius notae e Graecis est repetenda, qui figuram Ͱ pro asperi; et ꟷ| pro lenis spitus nota adhibuerunt. (oo) quin, CLAVDIVS

(mm) Conf. DAVSQVIVS, *Tom. I, p. 152*

(nn) QVINCTILIANVS, *Lib. I, cap. IV*

(oo) Vid. DONATVS Edit. I, p. 1829: VOSSIVS *Lib. I, cap. XXIX, p. 110.* DAVSQVIVS, *Tom. I, p. 152.* Sunt autem *anguli isti* in Ͱ et Ⱶ, *vt in aliis multis, hebetati, reductaeque notulae in compares semicirculos dextrum laeuumque sic*; ʽ ʼ. DAVSQVIVS ibid

DIVS SALMASIVS, in Latinis etiam manuscriptis, ⊦ pro aspirationis nota ocurrere, in notis ad HERODIS Attici inscriptionem, testatum facit. cuiusmodi vel hodie etiam in Palatina Bibliotheca conspicienda sunt. Iam ex figuris ⊦ et ⊣, colligatis inter se ac nexis, nota H est effiQta. Euidentius autem, H notam e Graecis esse petitam, inde potest demonstrari, quod in Graecis etiam scriptionibus pro aspirationis nota vsurpata fuit, vt in Himerae, oppidi Siciliae, numis apud PARVTAM, HIMEPAION et HIMEPA legitur. (pp) In Selinunciorum, eiusdem tractus numis, HYΨAΣ: in Boeotiae vrbis Ismenes numo, HIΣMEN adest. Porro Romae, duabus columnis in via apud sepulcrum METELLAE repertis, atque in hortos Farnesianos translatis: (qq)

ODENI

(pp) SPANHEMIVS hos numos, *quingentis et supra ante* CHRISTVM *annis* inscriptos esse suspicatur. *Diss. II, p.* 95. Quo etiam in loco ἦτα demum ab SIMONIDE inductum fuisse euincit

(qq) Asteriscus in mediis columnis notat, ea incipere, quae in altera parte habentur. Conuersionem Latinam reperies apud GRVTERVM, *p. XXVII, n. I.* Ceterum, KAI, in fine repositum, alias columnas desiderari, indicat

ODENI ΘE
MITONME
TAKINEΣAI
EK TO TRIO
PIO HOEΣ
TIN EPI TO
TRITO EN
TEI HODOI
TEI APPIAI
EN TOI HERO
DO AΓROI
OΓARLOI
ON TOI
KINEΣANTI
MARTYΣ
DAIMON
ENHODIA

*

KAI HOIKIONEΣ
DEMETROΣ KAI
KOREΣ ANAΘEMA
KAI + ΘONI
ON ΘEON

ODENI

ODENI
ΘEMI
TONME
TAKINE
ΣAI EK TO
TRIOΠIO
HO EΣTIN
EΠI TO
TRITO
EN TEI
HODOI
TEI AΠΠIA
HERODO
AΓROIO
ΓARLOI
ON TOI
KINEΣAN
TI MAR
TYΣ DAI
MON
ENHODIA

*

KAI HOIKIO
NEΣDEMETROS
KAI KOREΣ
ANAΘEMA
KAI + ΘONI
ON ΘEON KAI

Tan-

Tandem, vel inde etiam id colligi poteſt, quod H centenarii apud Graecos numeri nota eſt: nam inde conſequitur, vt olim pro aſpiratione in ἕκατον vſurpatum fuerit. (rr) His dictis, euincendum erit, H eſſe nihil praeterquam aſpirationis notam: dein eleuanda eorum argumenta, qui H mutam eſſe contendunt. Quod ad primum attinet, negari non poteſt, notam H, ſi qua figuram ex ├ et ┤, ſpirituum notis conſtet, eandem ſpiritus notam eſſe: eſt enim e forma poteſtatis ratio repetenda: iam id ita omnino ſe habere ante euici. ergo H aſpirationis nota eſt. Porro, ſi H apud Graecos aſpirationis nota fuit, atque inde ad Romanos venit: ſequitur, vt alia ei apud Romanos poteſtas eſſe, quam quae apud Graecos fuerit, nequeat: iam eſſe H in aſpirationis notis a Graecis habitam, exem-

(rr) Ita X ex χίλια, Δ ex δέκα, in numerorum apud Graecos notis habentur. fuiſſe autem H pro aſpirationis nota a Graecis adhibitum, PRISCIANVS et TERENTIVS SCAVRVS: item ATHENAEVS, *Lib. IX, cap. XIX*: SYLBVRGIVS, in *Alphab. Graeco*: SCALIGER, *Anim. ad* EVSEB. *p. 102*, ac VOSSIVS, *Lib. I, cap. XXIX, p. 110*, teſtantur. Cauendum autem vt ne H in iis, quas commemoraui exemplis, pro ἦτα habeas, abs quo non omnino alienus BECMANVS videtur fuiſſe, *Manud. ad L. L. cap. IV, p. 19*

exempla quae ſupra dedi loquuntur. dandum itaque hoc, quod in complexione eſt: H notam aſpirationis eſſe. Subiiciam vnicum hoc: cuicunque figurae ea eſt conditio, vt ſono articulato deſtituta ſit, et vnice *ſpiritus faciat*: (ſſ) ea non in literis ſed ſpirituum eſt notis reponenda: iam in H notam vnum valet. ergo vt et alterum in eam valeat neceſſum eſt. Accedit hoc, principes Grammaticos, H pro aſpirationis nota habuiſſe, vt praeter VARRONEM, cuius verba AGNAEVS CORNVTVS apud CASSIODORVM excitauit, NIGIDIVS FIGVLVS, (tt) PRISCIANVS, (vv) MARIVS VICTORINVS, (xx) M. VALERIVS PRO-

(ſſ) Ita CAPELLA ſonum huius notae finit. Nolim autem excipi, iſtam expoſitionem ad F etiam et S literas referri poſſe: eſt enim F literae hiſpidus ſonus, S autem ſibilus; non merus, vt ita dicam, ſpiritus

(tt) Teſtante MARIO VICTORINO, p 2456

(vv) *H*, inquit, *aſpirationis eſt nota, et nihil aliud habet literae niſi figuram, et quod in verſu ſcribitur inter alias literas. Quod ſi ſufficeret vt elementum putaretur, nihilominus quorundam etiam numerorum figurae, quia in verſu inter alias literas ſcribuntur, quamuis eis diſſimiles ſint, elementa ſunt habenda. Lib. I, p. 544.* conf. *p. 560.* item, *p. 540.* Ad MACRI autem cuiuſdam auctoritatem prouocat

(xx) *Pag.* 2452, et 2455

PROBVS. (yy) In recentioribus hanc caussam ita vt iuuat disseruit, variisque argumentis euicit, fieri non posse quin H aspirationis nota sit, IOVIANVS PONTANVS, in duobus de *Aspiratione* libris. cuius vestigiis VOSSIVS et CELLARIVS institerunt. Contra autem videtur MAXIMO VICTORINO, (zz) VELIO LONGO (a) et SCAVRO: (b) ac e recentioribus, SCHVRZFLEISCHIO, (c) FRISCHLINO, (d) *Auctoribus Poetarum Giessensibus* (e) SCHWARZIO. (f) Atque ad semiuocales quidem RAMVS, FRISCHLINVS et MELANCHTHON eam referendam putant: alii mutam H esse volunt. Sed falluntur: nam H nec *semiuocalis* esse potest, *quum nulla syllaba Latina vel Graeca per integras dictiones in eam desinit:* (g) nec muta, *quum in eadem syllaba cum duabus mutis bis ponitur*, vt PHTHIVS, ERICHTHONIVS.

Ad-

(yy) *Pag.* 1390
(zz) *Pag.* 1945
(a) *Pag.* 2217
(b) *Pag.* 2258
(c) *Orthograph. p.* 26.
(d) *Grammatica nova*, *p.* 7
(e) *Pag.* 7 et 17
(f) *Grammat. Lat. p.* 10
(g) Descripsi haec ex PRISCIANI, *Lib. I, p.* 544. Nihil autem est, quod secus sentientes ad *vah* et *ah*, exclamandi particulas, prouocent: sunt enim perfecta *vaha* et *aha*, vt idem Grammaticae auctor monet, *p.* 548

Adhaec neque duplex (h) esse potest, quum nemo quibus ex literis constet ostendere sustinet. Atque tandem nec vocalis esse H nota potest, *quia ab se vocem non facit* : iam quum aliud nullum, praeter haec literarum genera, suppetit: cogitur inde, H nec esse, nec dici etiam literam posse. quo vno argumento, hiulcae secus sentientium exceptiones, frangi et conuelli possunt. Ceterum, rationibus contendendum cum iis non videtur, qui et literam, et aspirationis notam, H esse volunt: id enim penitus repugnat. Est autem in his, DIOMEDES, (i) qui H *interdum* pro *consonanti* interdum pro *aspirationis nota* haberi ait oportere: nec non DONATVS. (k) Titubant etiam aliquanto ea in quaestione, TERENTIANVS, (l) atque AGNAEVS CORNVTVS (m)

VIIII

CASCIS temporibus, aut nunquam (n) H litera vsi sunt Literatores, aut rarissime.

(h) Non omnino alienus ea ab sententia VELIVS LONGVS videtur fuisse. ait enim: *H adeo litera est, vt possit videri etiam vicem duarum consonantium implere.* p. 2217

(i) *Pag.* 417 et 419

(k) *Pag.* 1801 et 1829

(l) *Pag.* 2388

(m) *Pag.* 2286

(n) Haec CLAVDII SALMASII sententia est.

me. (o) Dabo quaedam exempla. ERACLIVS in HERACLII apud BEGERVM numo: ERCVLI PACIFERO et ERCVLI VICTORI, Schwarzburgico in numophylacio: TRIVMPVS, Papiae Gentis in denariis: in Plautiae, YPSAEVS pro HYPSAEVS: TROPAEA in M. AVRELII numo, conspiciuntur. Ara Romae in Vaticano est, cui inscriptum:

I. O. M. D
AVR. IVCIANVS
EQ. R. SACER
DOS. VIVS
COCI. D. D

Aduerte VIVS, pro huius hac in ara scriptum: Osmae in Piceno, ONESTA MISSION: Romae, FILIA IC. SITA

est. *Veteres*, inquit, *Latini H non habuere, nec enim Latinum vetus Alphabetum ingressa est, quod in Latium* EVANDER *introduxit. In Explic. Inscrip.* HERODIS ATTICI, *p.* 52

(o) QVINCTILIANVS, L. c

S

TA EST : DVILII in columna CARTACINIENSIS. Alibi ORAS pro horas, OMVNCIO pro homuncio, BRACIVM pro brachium, VMANARVM pro humanarum. cet. Consequenti autem aetate vsus eius in abusum versus (p) est, vt PANHORMITANVS in Domitiae gentis numo: PVLCHER item in numismatibus: Romae in foro Caesaris inuenta inscriptio haec:

DOMINO NOSTRO
FL. CLAVDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO. HAC
BEATISSIMO. CAESARI
FL. VRCASIVS. V. P
TRIBVNVS. COHORTI
VM. VRBANARVM
X. XI. ET. XII. ET. FORI
SYARI - - - - - -

Vbi

(p) Medium tenuisse iuuabit Itaque non praeter rem ANDREAS CORVINVS in vitiis scriptus reponit, *Alios*, H, *quasi pro idolo colentes*, *intrudere in vocibus sepulcrum*, *lacryma*, *carus*,

Vbi notandum, HAC pro ac repositum esse: Tarracone, AEMILIO. VλLERIO. CHORINTHO. HOMINI. BONO. In alio, quod ex VRSINI schedis GRVTERVS descripsit monumento, TRIVMPHALIBVS HORNAMENTIS. HOBITVM etiam pro obitum; HELEPHANTOS pro elephantos, cum aliis passim occurunt. Iam, quod ad iustum huius notae vsum spectat, imis sensibus haec, quae consequitur regula erit reponenda: H notam post C, P, R et T, ponendam omnino non esse, nisi ea lege, quando loquela Graecae fuerit originis, inque Graecis, aut X, aut Φ, aut Θ, aut P adsit. (q) Sed in fama a Φήμη, triumphus a θϱίαμβος, ei regulae

S 2 vis

carus, cet. alios id infra omnes verborum apices amandantes scribere oedos, ircos, cet. vt hodierni Critici eorumque filii. in *Dub. Rhetor. Fasc. X dub. IX*

(q) Debeo eam regulam MARIO VICTORINO, qui, *De aspirationis*, inquit, *nota Grammatici tradiderunt, ipsi consonantes tantum quatuor praeponi, quotiens Graecis nominibus, Latina forma est, id est C, T, R, P, vt chori, thymos,* PHYLLIS, *rhombus. p. 2455.* Quo itaque modo se tueri, *lethum* ab obsoleto *leo, author* ab *augendo*, vel vt aliis videtur ab αὐτὸς, *lachrima, trophaeum, charus, sepulchrum, lauachrum, ambulachrum, bosphorus*, cetera, poterunt? Sed haec ad specialem Literaturam pertinent

vis nulla est. (r) Ceterum Aeolum more factum, vt F pro aspirationis nota sit adhibitum, vt in *fircus* pro hircus, *fariolus* pro hariolus. Atque temporum in deductione, C eius loco interdum reponitur, vt *vexi*, id est vecsi, a veho. (ſ) In deductis e Graecis aspirationis nota Θ, Φ, et X literis inuoluta, iam in D mutatur, vt Deus a Θεὸς : iam in F, vt *fundus* a φύω : iam in G, vt ango ab ἄγχω : iam in Q vt loquor a λέλογχα, aqua ab αχελώιος, si MACROBIO fides: exulat in alcedo ab ἀλκυὼν : mutatur in V, vt verpus ab ἕρπων

X

AVERSIO et diacritica puncta, eo nomine ad accentus pertinent, quia et ipsa fastigia sunt.

(r) CICERONI ita videtur : *Quin ego ipse*, inquit, *scirem, ita maiores loquutos esse, vt nusquam nisi in vocali aspiratione vterentur, loquebantur sic, vt pulcros et Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerent : aliquando idque sero conuicio aurium quum mihi extorta veritas esset, vsum loquendi populo concessi, scientiam mihi reseruaui. Orat. cap. XLVIII*

(ſ) *Habet aspiratio*, inquit SCALIGER, *aliquid simile cum C : itaque alicubi in Vasconia quod alii hodie dicunt, ipsi sua lingua codie. Ergo veho faceret vehsi, assumto sibilo, vt duco ducsi, postea, vecsi : et supino mutato sibilo in C, vt diximus vectum. Lib. I, cap. XXV, p. 59*

ſunt. quae eſt CAPELLAE et DIOMEDIS accentuum finitio. Vim eorum atque indolem ſi ſpectaueris, eſſe ea ab accentibus diuerſa deprehendes: (t) nam nec elationem hae notae, nec depreſſionem: neque diductionem etiam vocis, aut correptionem exigunt. *Auerſio*, vt ab hac ordiar, *nota eſt adſita vltimae aut primae vocabuli literae, ex alto inſtar tenuis ſpiraculi, qua literam aut literas ab eo loco auerſas iudicium fit.* (v) Late itaque eius vſus patet, adeo, vt non conſonantibus vnice apponi, quod DIOMEDES (x) vult, poſſit: ſed vocalibus etiam,

(t) Dabo hoc vltro, licet nullae ſint quibus ſecus ſentientes contendant rationes: MASCOPVLVS enim auerſionem, ex accentibus propter hanc cauſſam eſſe proſcribendam contendit, quia e nulla literarum forma oriatur. Vid. VOSSIVS, *Lib. II, cap. VI, p. 179.* SCALIGER, propterea eam ex accentibus excludit, *quod literae per ſe eſt, ſyllabae per accidens.* Itaque nec grauis nec acutus, accentus erunt: nam in *amauit*, vt hac vtar voce, vtrum M per ſe effertur, an vero A? ſi A dicas, M per accidens fateare: ſi M: tenoris te conditio fugit

(v) Hanc finitionem DAVSQVIVS adhibet, *Tom. I, p. 163.*

(x) *Apoſtrophos*, inquit, *circuli eſt pars dextra, ſed ad ſummam literam conſonantem appoſita, cui vocalis eſt ſubtracta. Lib. II, p. 430.* Nec alienos omnino ea ab ſententia fuiſſe, PRISCIANVM, *(Lib. de Accent.*

iam, vt in *opera'st.* Hac autem ratione ENNIVS, PACVVIVS, PLAVTVS, TERENTIVS, alii, auersione fuere vsi, vt eam scriberent; I) quando duae vocales diuersis concurrerent in loquelis, vt, *ten' inquit*: II) si M istas vocales intercederet, vt, *tanton' me crimine dignum*: III) si S adesset, vt, *dura vi' est.* (y) Interdum auersio in media etiam voce est adhibita, vt *pos'-quam, audienduf't, scribenduf't.* (z) quod Synaloephen veteres dixere: item vna plures literas desiderari ea notarunt, vt, *non quid' inuideo, visu'st.* (aa) Sed cauendum, vt

Accent. p. 1285,) DONATVM, (Edit. I, p. 1742,) et MAXIMVM VICTORINVM, *(p. 1944,)* ex iis quibus vsi sunt exemplis videre est

(y) Id etiam interdum factum, licet vocalis non consequeretur. Sunt apud CICERONEM versus hi:

Qui est omnibu' princeps, non omnibu' princeps
Vita illa dignu', locoque non dignu'

(z) Exstant ea exempla apud MARIVM VICTORINVM. *Cum fuerit autem scriptum,* inquit, *audienduf't, et scribenduf't, et mutanduf't, et similia, generis masculini, primam vocem integram relinquetis: ex nouissima autem C et S, detrahetis. p. 2467*

(aa) Alterum ex VIRGILIO est; alterum in PACVVII apud CICERONEM versu VOSSIVS, antiquissima in editione, inuenit

vt ne ea praeter necessitatem vtamur. *Diacritica puncta*, eo faciunt, vt binae vocales iuxta se positae, a binocali distingui eo commodius possint, vt *ëris* est ex aer, *aeris* ex aes flexum. Sed hoc ex συγγράφεως scriptionis melius intelligitur. Ceterum, haec puncta, I etiam literae, quando ex consona vocalis facta fuerit, abs quibusdam superiiciuntur.

CAPVT III

DE IIS QVAE AD SYLLABARVM MATERIAM CONSTITVTIONEM ATQVE DIVISIONEM SPECTANT

I

LITERAS geminatas, vnam referre in syllabam, nefas est: licet veteres id in vocalibus quando longae essent tantum non semper fecerint: (a) *expedita* enim

 esse,

(a) Huius scriptionis auctor ATTIVS, aut vt alii volunt ACCIVS, fuisse videtur. ait enim TERENTIVS SCAVRVS: ACCIVS *geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit*. FABIVS etiam QVINCTILIANVS, huius scriptus mentionem facit, in *Instit.*

esse, vt SCAVRVS monet, oratio debet. Vt autem vniuersa vitia, ab antiquis admissa et naeui, consectanda studiose non sunt; ita nec id, quod contrarium huic est vitium: vt nempe omnem literarum geminationem refugiamus, eamue sicilico (b) no-

Instit. Orat. Lib. I, cap. 4. NAEVIVM item et LIVIVM Andronicum, *cum longa syllaba scribenda esset, duas vocales, praeterquam quae in I literam inciderant,* reposuisse, MARIVS VICTORINVS refert, *p. 2456.* Exemplorum apud SPANHEMIVM, SMETIVM, GRVTERVM, alios, abunde est. quorum quaedam infra retuli. Vide insuper eo de argumento, CHRIST. FRID. RVHE, *Spec I p. 46 seq.* qui peculiari in capite; *De more veterum vocales delineandi longas,* egit. add. POLITIANVM, in *Miscellaneis, cap. XLIII*, et VOSS. *Lib. II, cap XII, p. 195*

(b) Refert eam rem, MARIVS VICTORINVS, his in verbis: *Consonantes literas* (veteres) *non geminabant, vt in his,* ANNIVS, LVCVLLVS MEMMIVS, *et cetera his similia, sed supra literam, quam geminari oportebat, sicilicum imponebant, cuius figura haec est,* (sed frustra ea quae fuerit PVTSCHII in exemplo quaesiueris) *quod erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus libris ita scriptis, p. 2456,* vid. etiam, *p. 2468.* Videndum primo vnde huic notae nomen sit. Atque ISIDORVS quidem, *vocis cognatione,* vt DAVSQVIVS ait, *illusus* sicilicum dici, quod reperta ea forma in Sicilia

notemus, erit admittendum. Videtur autem hic loci ea etiam esse commemoranda, quae de syllabarum fine Grammatici praecipiunt. Principales syllabae, ita enim PRISCIANVS eas, quae in fronte vocis collocantur, vocat, omnes in fine literas recipiunt, praeterquam, F, G, P, S, nisi forte geminentur. In Q desinere nullo modo possunt. B autem atque F, quo minus his annumerentur, obstant voces hae: *abnuo*, *obsecro*, *Aetna*, *atque*. Iam quod speciatim ad praeposituras attinet, quae ob variam vltimae literae in compositione demutationem, negotium Literatoribus facessunt: omne id, ad duas videtur obseruationes reuocari posse. Primo, quaecunque litera ei, quae vltima in quadam praepositura est, iuncta et nexa in simplicibus deprehenditur: ea etiam consequen-

 te,

lia fuerit, est opinatus Est autem sicilicus, a *sicilire*, quod apud VARRONEM legere est ductum: eique inde est nomen quod semunciam secat, atque geminam drachmam, vt FESTVS refert, aut scripilos sex, vt PRISCIANO videtur, comprehendit. Forma sicilici, e nomine ἀπλῶν, quod ipsi VICTORINVS attribuit, et exemplis, quae ISIDORVS, *Lib. I, cap. 36*, adfert, intelligitur haec fuisse: '. quae quidem ab auersione omnino non differt. Itaque *se'la* pro sella, *se'ra* pro serra, *a'seres* pro asseres, olim scriptum fuit. Vid. DAVSQVIVM, *Tom. I, p. 170, et 171*

te, integra praepositio poni potest. vt O ante C, poni in *procurator* posse, inde cogitur, quod *ocius* O habet literae C diuersis in syllabis iunctum. Altera, si hanc perspectam habueris, nihil iam difficultatis habebit. Est autem haec: quando nullum in simplicibus exemplum suppetit, iuxta se positas literas eas, diuersis in syllabis esse, quae, praepositura vocabulo admota, iungendae essent: aut cedet vltima praepositionis consequenti; aut demutabitur; aut abiicietur. Qua autem lege id singulis in praepositurіs fieri oporteat, infra in literarum consideratione tradidi. (c) Vltimae loquelarum complexiones, de quibus nunc videndum, neque H notam; neque K, P, aut Q literas, in fine admittunt. in reliquas autem omnes terminari possunt. Praeter haec obseruatum est a Grammaticis, biuocalem duas, eadem in syllaba consonas, consequi non posse; at duplicem posse

II

DIVISIONIS syllabarum considerationem, quidam ad caput de loquelis reiicien-

(c) Iam si ea, quae hinc inde adduxi, vno veluti obtutu conspicere, volupe fuerit, PRISCIANVS erit euoluendus, qui *Lib. II, p. 567*, vsque ad *p. 573*, ita eam rem, vt iuuat, est prosequutus

endam putant; quod quaedam in ea Notationis partes sunt. Sed praeter rem ita opinantur, quum vniuerse Literaturae non est, de Notatione data opera exponere. Itaque ad caput caussae progrediar. Princeps omnis dimensionis complexionum et diuisionis regula est haec: metiendam eam e pronunciatione esse. quae late admodum patet. At enim vero, ablegandi ad ima Grammaticorum subsellia essent hi, qui vt hodie pronunciant complexiones; ita etiam in fine versus diuiderent. Itaque hoc, de ea quae iam veluti rude donata est pronunciatione, erit intelligendum. Iam ipsam regulam, exemplo quopiam confirmabo. *Amnis* vocabulum, hunc ad modum dissecari in versus fine, vt M et N vltimae complexioni condonentur, notum in vulgus est. Enimuero, PRISCIANVS (d) et VICTORINVS, rationem, ob quam A in *amnis* porrecta sit redditurі, commemorant hoc, consequen-

(d) *Lib. I, p. 564.* Si autem quaesiueris vnde intelligi possit, quo modo veteres complexiones singulas enunciauerint. d aliquanto ex ipsa diuisione perspici posse, mihi quidem videtur. Neque in orbem ea demonstratio redit, quod PRI CIANI, VICTORINI et FABII etiam *(Lib. I, cap. VII)* adsunt testimonia, veteres non aliter diuisisse syllabas, ac eadem etulerint

quentem syllabam, duabus esse consonantibus instructam. ergo veteres *a-mnis* non *am-nis* pronunciarunt. Immo ratione pugnabo: *Vox* (iuste et veterum more) *prolata est norma vocis scriptae, ad quam illa se habet, vt signatum ad signum, quorum hoc ab illo dependet, non vice versa.* quibus SCALIGERI verbis, tanta inest ad probandum vis, vt ea frangi a nemine possit. Porro, tenendum hoc: consonantem duas constitutam inter vocales, ad eam, quae consequitur syllabam, esse pertrahendam: nisi Notatio aliquid impedimenti obiiciat. Atque apud veteres quidem, trifaria, quantum huc spectat, scriptio obtinuisse videtur. Nam consonam, vtrinque vocalibus stipatam exscripserunt, vocalem autem consequentem frequenter omiserunt, vt in SEPTIMII SEVERI apud BOISSARDVM (e) monumento, ARABIC. legitur pro Arabico. Item ad antecedentem vocalem eam retulerunt. quae scriptio bis in AVRELII cuiusdam apud eundem (f) epitaphio habetur:

D. M

(e) In *Topogr. p. 115.* Videor autem mihi obseruasse, veteres vniuerse in fine versus, multo esse frequentius compendiis scripturae, quam in medio versu vsos

(f) *Pag. 43*

D. M
M. AVRELIO
BARRA. MIL
COH. VI. PR 7 VA
LENTIS. FRA
TRI. INCOMPAR
ABILI. M. AVR. PA
VLVS. EQ. COH
VI. PR. BENEMER
ENTI FECIT


Iuxta Isaram fluuium:

T. IVLI SAT
VRNINI

Item ad Lusitaniae siluam: (g)

NYMPHIS

(g) Vide etiam GRV- TERVM, *p.CCLXXVIII n. 3*



Tandem, multo frequentiſſime eandem consonantem, ad conſequentem vocalem in diuiſione ſyllabarum retulerunt, vt Dertonae apud aedituos D. MARCIANI:

AVREL.

AVREL. VENERAN
NVS. BENEF. LATI
CLAVI. LEG. XIII. GE
M. IN. ACIE. DESI
DERATVS. QVI. VIX
IT. ANNOS. XXVI
MENSES. VII. DIES
XV. AVREL. SECV
NDIANVS. IMA
GINIFER. LEG. SS. CON
SVBRINO. BENEME
RENTI. MEMO
RIAM. POSVIT

Ibidem, in arce COGV-GI, Rauennae, VITA-LIS, ANTONI-NIAN. Romae extra portam in vinea M. SCIPIONIS MANFREDI Medici, PRIMI-GENIVS. (h) Quum autem in diuersa apud veteres scriptione, consectanda ea sit, quae frequentius adhibita fuit: eo etiam nomine, vsurpanda haec, quam vltimo loco commemoraui, scriptio erit. FABIVS autem QVINCTILIANVS omne iudicium, hac in caussa

(h) Alia exempla apud GRVTERVM, *p.* *MCVI*, *n.3*, it. *p.* *MXVI*, *n.8*, et apud BOISSARDVM, *Topogr. p.* 15 *et* 134 habentur

caussa penes vnam Notationem esse existimat. PRISCIANVS, (i) quum in HERODIANO redarguendo occupatus est, suam de hoc argumento sententiam, adeo tenebris obfuscauit, vt Delio videatur natatore ad eam eruendam opus esse. Quod si ad exempla quibus vsus est, missis verbis, attendas; conciliari omnino ista, cum ea quam tueor sententia, posse senties. Omnium autem luculentissime CAESELLIVS, cuius verba apud CASSIODORVM (k) habentur, hanc caussam exposuit: ille enim, praeceptionem quam commemoraui, totidem verbis proponit, nec tamen quidquam Notationi derogat. in quam etiam sententiam CELLARIVS, VOSSIVS et DAVSQVIVS descenderunt. SCALIGER etiam procliuis ad eandem videtur fuisse. Horum itaque vestigia legisse iuuabit. Iam adferam id, quod hanc obseruationem, iustam in se, arctis admodum cancellis cohibet ac includit. Est autem regula haec: in compositis vnicuique loquelae, suae sunt in diuisione syllabarum literae relinquendae. Atque hoc qui neget nemo est, quum praeter QVINCTILIANVM, (l) TEREN-

(i) *Lib. II, p. 567.* Vide quemadmodum SCALIGER HERODIANI mentem exposuit. *Lib. II de Causs. LL. cap. XLIX, p. 111*

(k) *Cap. X, p. 2316*

(l) *Est etiam in diuiden-*

RENTIVS etiam SCAVRVS (m) atque CASSIODORVS, ne qua vox temere contra Notationem diuidatur, lege cauerunt. Atque hoc, non ad eas modo compoſitas voces, in quibus vna conſonans mediis in vocalibus deprehenditur; ſed ad eas etiam in quibus duae aut tres conſonae, ſonantibus ſtipatae adſunt, ſpectat. Itaque iuſta eſt diuiſio quae in Cenotaphio CAII Caeſaris occurrit, in voce CON-STITVTA. Ita quoque *aru-ſpex*, ab ſpectando, ita eſt, FABIO ſuaſore, diuidendum, vt *ſpex* ſyllaba ab *ru* dimoueatur: item *neg-otium*, *ne-ſcire*, *ex-ſul*, *pit-uita*, *et-iam*, *re-ſpondeo*, (non res-pondeo vt ANDREAE BRABANTO videtur,) *ab-actus*, *abs-tulit*, *pot-eſt*, ſcribendum. (n) Habet autem ali-

dendis, vt FABIVS ait, *verbis obſeruatio mediam literam conſonantem priori, an ſequenti ſyllabae adiungas. Aruſpex enim, quia pars eius poſterior a ſpectando eſt, S literam tertiae dabimus. Abſtemius, quia ex abſtinentia temeti compoſita vox eſt, primae relinquetur. Lib. I, cap. VII*

(m) *Per connexionem illam*, ita inſit, *annotanda ſunt, vt neg-otium; cuius primae ſyllabae G debeat adiungi, non ſequenti; quod dictum eſt, quia nec otium*

(n) Praecipue cauendum, vt ne praepoſitiones diuellas. quod CAESELLIVS monet: *Omnes praepoſitiones*, inquit, *integrae ſeparandae*

aliquid difficultatis hoc, si qua litera, praepositionem inter et vocem, Euphoniae ergo sit intercalata: est enim quoddam veluti problema (o) Literaturae, vtri syllabae in diuisione adiicienda sit. Mihi quidem multo eam commodius, ad antecedentem complexionem reiici, videtur; ita vt *prod-eo red amo red-eo* scribas, (quorsum tamen nolim *ignosco* et *cognosco*, voces quibus nulla est abundans litera, referri:) idque hanc ob caussam, quod aequum esse videtur, ei istam literam conceptioni adiici, ob quam indita vocabulo est: iam vero, non ipsam ob vocem est adiecta: caret enim hac loquela simplex: itaque ob praeposituram. ergo in diuisione etiam huic concedenda. Quando duae eiusdem generis consonantes, circumseptae vocalibus sunt; altera ad antecedentem, ad consequentem altera est referenda. Nec obstat hoc, veterum in scriptionibus aliquoties ambas, ad eam quae insequitur syllabam, relatas esse, vt Romae in domo IVLII, ad MINERVAM:

D.M.

dae sunt, vt est, abstulit abs et tulit, transtulit trans et tulit, abscondit abs et condit, et cetera his similia. apud CASSIOD. *cap. X, p. 2316*

(o) CELLARIVS *(p 68)* antecedenti; RHENIVS in *(Paralip. p. 590)* consequenti syllabae, eam literam vindicant

D. M
CLEMETI CAESAR
VM. N. SERVO. CASTE
LLARIO. AQVAE. CL
AVDIAE. FECIT. CLAV
DIA. SABBATHIS. ET. SI
BI ET SVIS

In HERCVLIS tabula, ARV-CCITANAE, apud BOISSARDVM, VOLENNIANA. Haec autem nulla exempla sunt, si numerum eorum, quibus id quod antea dixi confirmatur, reputaueris.(p) Item, si diuersarum istae literae generum fuerint, proximae quaeque vocali adhaerescit, vt Beneuenti: SEDAVIT. VNIVER-SA. PLEBS: item foro SEMPRONII, quadam in porticu, CON-TENTVM. Atque hoc PRISCIANVS (q)

T 2 etiam

(p) Vt apud GRVTERVM, *p. CCVIII*, *CXVIII*, et aliis in locis

(q) *Lib. II*, *p. 566. Si antecedens*, inquit, *syllaba terminet in consonantem, necesse est etiam sequentem a consonante incipere, vt artus, ille, arduus, nisi sint composita*

etiam atque CAESELLIVS (r) inculcant. Enimuero in multis, quo minus id fiat, non Notatio modo, de qua antea verba feci, obſtat; ſed regula etiam haec, quae exigit, vt, quoties muta cum liquida, vocales ſtipatores nanciſcantur, vtraque ad inſequentem ſyllabam pertrahatur, vt in LVCII Caeſaris apud NORISIVM Cenotaphio, PV-BLICA et PV-BLICVM videre eſt. Male autem apud BOISSARDVM (ſ) vox SAC-RARVM diuiſa eſt. PRISCIANVS vocem *A-tlas*, (t) ea enim pro exemplo vtitur, recte omnino diuiſit atque diſtribuit. Porro, ſi S litera in hiſce conſonantibus eſt, vtramque ad ſucceda neam, optimus quiſque complexionem, tranſfert. Id Romae, in marmorea apud DELPHINIVM tabula ſeruatum: ita enim vocabulum PRAESTAT diuiſum in ea conſpicitur, vt nouiſſima ſit STAT, In fragmentis inſcriptionum fratrum Arualium, MAGI-STER, ita vt fert haec obſeruatio, diuiſum eſt. CAESELLIVS (v) quoque nouiſſimam in *poteſtas ſtas*, in *noſter ſter* eſſe vult.

(r) Apud CASSIOD. *cap. X, p. 2316. Cum pares*, inquit, *ſunt ſingulae ad ſingulas ſyllabas ibunt*

(ſ) *Topogr. p. 103. et 41.* Videſis aliud exemplum apud GRVTERVM, *p. DCCCLXXIII*

(t) *Lib. I, p 564*

(v) Apud CASSIOD. *p. 2316*

vult. Nec non MARTIANVS in vocabulo NESTOR, diuidendo, N et E *versus prioris extimum: sigma versus insequentis exordium obtinere* affirmat. Itaque dimoueri te hac ab regula non patiare, si in campi Martii tabella legeris: SIBI POSTERISQVE SVIS. (x) Tandem, hae binae consonantes, quales tandem cunque sint, si modo in vocis cuiusdam initio iunctae habeantur, et *soni*, vt VOSSIVS ait, *natura non obstet* eas coniungi; ad insequentem in diuidendo lineam referuntur. Id ipsum CAESELLIVS, (y) in voce *apto*, quam ita diuisit: *a-pto*, perdocet: PRISCIANVS G et D, consequenti tribuit, in *My-gdonides:* quibus cum CELLARIVS etiam facit. (z) Denique iisdem fere legibus continetur, vocabuli in conceptiones diuisio, quando tres consonantes medium inter duas vocales tenent. Nam illae etiam, si per Notationem licet, ad consequentem vocalem, vt nunc est, referuntur: nempe quando muta

(x) BOISSARDI in *Topogr. p. 81* habetur SCALP-SIT

(y) *Loc. c p. 2316*

(z) Ceterum, *si duae*, inquit, *consonantes in medio concurrunt, diuiduntur tamen eae, quae ab initio verbi nequeunt pronunciari; non autem a quibus verba tam Graeca quam Latina incipiunt p. 68.* conf SCALIGERVM, *Lib. II, c. XLIX, p. 112*, et DAVSQVIVM, *p. 136. et 137*

ta in his cum liquida adest: vel si qua vox iisdem literis in principali syllaba instructa reperiatur. Itaque nouissima in *plostrum strum* erit, *in lustrant strant*, *capistrum strum*; *aeque claustrum rastrum*, *campestre*. (aa) Nescio autem an ea diuisio veteribus etiam se probauerit: namque veterum in monumentis, multo plurima exempla occurrunt, quae huic obseruationi minime respondent, vt in LVCII Caesaris Cenotaphio, MAGIS-TRATVS legitur. Nec adeo praeter rem NORISIVS atque CELLARIVS opinantur, recentiori demum aeuo, hanc de tribus consonantibus regulam, exclusam esse. Ceterum, AVGVSTVS plane *non diuisit verba*, vt SVETONIVS refert, *nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum transtulit: sed ibidem statim subiecit, circumduxitque*

III

EST peculiaris quaedam nota, qua vocem laceram, eiusque vnam; aut vna plures conceptiones, ad sequentis versus exor-

(aa) CAESELLIVS apud CASSIOD. *p.2316*. Huc autem non referendum *isthic*: ea enim spuria videtur scriptio esse; et praeferendum *istic* sine aspiratione, vt e Bembino TERENTII, et VIRGILII Carpensi codicibus constat. Vid. VOSSIVS, *Lib. I, c XLIV, p.162*. SCALIGERVM, *Lib. II, cap. XLIX, p. 113*

exordium relatas esse, in fine antecedentis indicatur: nempe haec: --.´ (bb) Nemo quidem est inter Literatores, quantum ego scio, qui hanc aut improbet notam; aut repudiet: sed recens adinuentis eam annumerant. At enim vero, ea iam secundo, post CHRISTVM natum, saeculo adhibita omnino fuit. Habetur namque in porticu inter Flaminium circum, et Tiberim, quam incendio consumtam L. SEPTIMIVS SEVERVS, et M. AVRELIVS ANTONIVS PIVS, Caesares augusti, restituerunt. Inscriptio est haec: (cc)

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS
SEVERVS. PIVS. PERTI
NAX. AVG. ARABIC.
ADIABENIC. PARTHIC
MAXIM. TRIB. POTE-
STAT. XI. IMP. XI. COS.
III. P. P.
IMP. CÆS. M. AVRELIVS
ANTONINVS. PIVS. FELIX
AVG.

(bb) Itaque haec a nota: =. quae Theotisco est e charactere detracta, non erit adhibenda. Vid. CELLAR. *p. 67*

(cc) Exscripsit eam ex BARTOLOMAEO MARLIANO, BOISSARDVS, *cap. IV, p. 137*

AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. VI. COS. PROCOS. IN-
CENDIO CONSVMPTAM
RESTITVERVNT

Vixiſſe autem hos imperatores ſecundo ſaeculo exploratum habetur. (dd) In marmore CONSTANTINO dedicato, eadem in fine verſuum nota reperitur, in HO-NORA-TVS, AMPLIFI-CATORI. Alia exempla in epitaphio, quod in Gallia ad Soliacum oppidum Lemouicenſium, repertum eſt, occurrunt. Inde vero et hoc conficitur, hanc notam in maiuſculis etiam literis adhiberi ſine vitio poſſe

SECTIO

(dd) De SEPTIMIO SEVERO videſis, DIONEM CASSIVM, *Lib. I, p. 74 et 75*, et EVTROPIVM, *Lib.I,cap.8.* De ANTONINO PIO, DION. CASS. *Lib. I, cap. 70*, et EVTROP. *Lib. I, cap. 4*

SECTIO IIII
DE LOQVELA

CAPVT I
DE IVSTO MAIVSCVLARVM ET MINVSCVLARVM LITERARVM VSV

I

FERT ita ordo, vt poſtquam de litera et ſyllabis fuerit dictum; etiam de loquela quaedam praecipiantur. Liceat autem, eum huic vocabulo ſignificatum ſubiicere, quem ei CORNELIVS FRONTO tribuit, vt nempe idem ſit quod oratio; *niſi vt haec omnium gentium: illa cuiuſque gentis propria dialectus* ſit. Dictionis vocabulum, quo veteres ſunt vſi, propter hanc cauſſam vſurpare nolui: quod id phraſin notat. Nec aliud commodius vocabulum reperire potui. Occupatur autem Literatura in conſideranda loquela, qua de iuſto *maiuſcularum* et *minuſcularum literarum vſu*; de *verborum interpunctis*; de *notis verborum et ſententiarum*, ac tandem qua de *ſcripturae compendiis* exponit

II

NVLLAS nisi maiusculas, antiquissimis quibusque in numis ac marmoribus literas, reperies. Atque negare etiam nequit venustiorem euadere scripturae habitum, quando maiusculae adhibeantur literae. Sed vsus, qui est omnis Literaturae magister, rotundiorem literarum formam adhibere suasit: facit enim eo, per minusculas literas scribendi ratio; vt necti inter se literae commodius possint, et magis adeo expedita scriptio sit. Videtur autem minuscula scriptio, VRSO atque POLEMIO Consulibus, id est quarto saeculo, (a) cognita iam fuisse: nam in marmore, his duumuiris Consulibus dedicato, apud MABILLONIVM conspicitur:

Mercurius pater filiae d.IV id.Nouembris
Vrso & Polemio Coss

Itaque non praeter rem SALMASIVS, in epistola ad SARRAVIVM, *literas capitales non semper indicium maioris vetustatis* in manuscriptis habere, monet. Cogitur inde integrum cuique esse minusculis literis in scriptu vti. Sed qui fiat, vt Typographi minusculam, maiusculae scripturae praeferant, me quidem fugit, quum id commodi, vt literas nectere inter se possint, vtque

(a) Fuere enim Consules A. R. S. CCCXXXVIII Vid. HEINECC. in *Fund. Stili Cult. p. 17*

que facilius procedat ſcriptura, inde ad eos redire non poteſt.

III

ALTIORIS eſt indaginis quaeſtio haec, vtrum inter ſe miſceri maiuſculae et minuſculae literae poſſint. In inſcriptionibus quidem, quaſdam reperies, in quibus vtriuſque formae elementa, nullo habito delectu, miſta inter ſe atque iuncta ſint, vt apud GRVTERVM in inſcriptione hac:

D. M
SANDALIVS. DICII
AMBVLA. SAEQVERE
ME. CVM. OENOFORV
CVM. CaLICE. Et
tA PANtIONE

Piuione, in pyramide:

MONVMENTVM
IVNIANI
O X p I R h l

Sed hoc inde factum, quoniam minuſcula ſcriptura perpolita nondum eſſet; aut potius incuriae latomorum tribuendum. Hodie vſus miſcendi has literarum formas, in

in aliquam veluti neceſſitatem degenerauit. Neque id in ſe vitii quid habet, ſi modo ſerues regulas quae conſequuntur. I) In rubris indicibuſue, minuſcula ſcriptio prorſus exulet.(b) II) Periodi cuiuſuis in fronte, vncialem literam adhibuiſſe expedit: ſiquidem interpunctum minus nulla alia in re a puncto differt, quam vt hoc vncialis litera conſequatur; illud non item. III) Scientiarum, officiorum, vrbium, regionumque nomina maiuſcula a litera ordiri aequum eſt. quod in nominibus etiam propriis fit: ni forte totum nomen, maiuſculis literis exſcribere volueris. IIII) Si qua auctoris cuiuſdam verba, memoriae nota praecedente, referuntur, vncialis eſt adhibenda. In dedicationibus, honorum titulos et pronomina, quae ad eos pertinent, mallem per totum maiuſculis literis exarare, quam vnam ab initio loquelae ponere. quod in orationis etiam exordio aliquid videtur venuſtatis prae ſe ferre

CAPVT

(b) Oculis enim ſe minime probat, quando alius in rubro verſus rotundiore; alius maiuſcula forma eſt exſcriptus. Id tamen ferendum, quod CHRISTIANO PETRO CLASENIO viſum fuit, qui totum indicem Programmatis, *de Pace Auguſtana*, (ed. *Glückſtadii An. 1755*) minuſculis typis exſcribi curauit

CAPVT II

DE INTERPVNCTIS VERBORVM

I

QVI iuſtus ſit poſiturarum poſitus intelligi; niſi e loquelae nexu et compage, nequit. Hinc non *verbi* ſed *verborum interpuncta* a CICERONE (a) vocantur. Graecis θέσεις dicuntur, cuius vocis vim omnem, Latinum *poſiturae*, refert. Atque huic nomini optime reſpondet DIOMEDIS definitio, qui poſituras, notas eſſe, *quae inter legendum dant copiam ſpiritus reficiendi*, ait, *ne ſpiritus deficiat.* (b) Iam ſi quaeritur, ex quo inde tempore, interpuncta verborum in loquela vſurpata fuerint; cauendum, vt ne animae interclusiones, moraſue; ac notas aut poſituras, vnum putes ac idem eſſe. Illae enim a Literaturae inde incunabulis fuere cognitae, hae non item. Eſt autem apud Graecos

(a) *Lib. III de Orat. cap. XLVI.* CASSIODORVS poſituras *diſtinctiones ſenſuum* vocat

(b) *Lib. II.* Non alienus omnino ea ab ſententia CICERO fuiſſe videtur. ait enim: *Interpuncta verborum, animae interclusio, atque anguſtiae ſpiritus attulerunt. Lib. III de Orat. c. XLVI*

cos positurarum origo quaerenda. (c) Priscis quidem temporibus vna serie, nulla intercapedine voces inter relicta, scribere vt iam infra commemoraui, moris erat: si qua autem periodus finita esset, non vno ductu, versuique vni alter iungebatur; sed quaenis periodus nouum ordiebatur versum. atque has distinctas inter se periodos στίχους conuocabant. quarum etiam numerus in fine ad calculos vocari assolebat. Atque eum etiam morem, Romanorum bene multos esse consequutos, inde potest colligi, quod SALMASIVS, *Tusculanas Quaestiones, ita per versus distinctas, antiquissimo in exemplo* reperiri: et LIVIVM etiam *Puteanorum, nullam fere vocum distinctionem ostendere*, (d) affirmat. Vt iam non dicam, esse multo plures, apud hos qui monumenta veterum constiparunt,

(c) Dolendum, vt ea iam non suppetant, quae NICANOR, HERMIAE filius, Alexandrinus Grammaticus, ADRIANI Caesaris aeuo, de interpungendi apud HOMERVM ratione, literis mandauit. Testis eius rei SVIDAS est, qui et alia eius scripta, non aliena ab hac materie, recenset. Vid. DAVSQVIVM, eius verba ad sinistra quorundam explicatione vindicantem. *Tom. I, p.* 134

(d) In Epistola ad SARRAVIVM. quae in Sarrauianis (*Arausione Ann.* 1654 editis) *p.* 235, et apud MORHOFIVM, in *Polyhist. P. I, Lib. I, cap. VII, p.* 54*f.* habetur

parunt, inſcriptiones reperiundas, in quibus nullae omnino poſiturae adſint, licet voces ſint diuiſae: et in numis vero ne ſeiunctas quidem ſemper eſſe. (e) Tandem ARISTOPHANES Byzantius Grammaticus Olympiade CXIIII ſub PTOLOMAEO EPIPHANE Aegypti Rege notas ad periodorum, membrorumque *interualla ſignanda, commentus eſt.* (f) atque adeo omnis προσωδίας auctor exſtitit. quae deinceps eſt ad Quirites tranſlata. Sed fuere tamen, qui dudum repertis notis, eis noluerunt vti, vt in codice epiſtolarum PAVLLI, qui penes Puteanos aſſeruatur, videre eſt. Atque in maiuſcula ſcriptura frequentius multo, quae eiuſdem SALMASII obſeruatio eſt, deſiderantur poſiturae; quam in minuſcula. Porro veteres Romani, non ea lege vſi interpunctis eſſe, qua ARISTOPHANES videntur: nam in iis, quae aetate alias ſuperant inſcriptionibus, veluti DVILII, punctum ad mediam literam eleuatum, cuique voci, excepta nouiſſima verſus, adiectum videmus fuiſſe. Numi tamen, in quibus id

(e) Vt RVHE, e gaza Schwarzburgica, exhibet numum, cuius in epigraphe, QVADRAGENSREMISSAE legitur. *Tab.II, n. 29.*vid. etiam, *n. 21*

(f) Videatur SALMASIVS, l. c: et BERNARDVS DE MONTFAVCON in *Palaeographia Graeca Lib. I. cap. IIII, p. 31* ed. Pariſ. Ann. 1708

id conſpiciatur, multo plures lapidibus ſunt. In aliis autem monumentis, in ima vocis parte punctum viſitur. Atque huius vice, variis etiam formis, ſcilicet ad ornatum ſcriptui conciliandum, ſunt vſi. vt hac: ❦, quae vuam pendentem refert. Conſpicienda ea eſt in tabula marmorea, quae Romae in aedibus BENZONIORVM eſt reperta. quam ita habe:

M ⌽ PROVINCIA ❦ PRAEF ❦
ALE ❦ -- ANE ❦ IN ❦ EADEM ❦
PROVINCIA ❦ VEHICVLORVM ❦
PER ❦ GALLIAS ❦ -- MONETAE ❦
TRIVERICE ❦ PRAESES ❦ - - - -
NOIE ❦ GERMANIAE ❦
SVPERIORIS ❦ V ❦ P ❦ --MVLIS ❦
V C M ❦ PRAEF ❦ PRAET ❦ ET ❦
C ❦ V ❦ - - VRBI ❦ VIXIT ❦
ANNIS ❦ LV -- ES ❦ N ❦ XI ❦
DIES ❦ N ❦ XXVII

Literae etiam Graecanicae, a priſcis ſunt poſiturarum vice adhibitae, vt Romae, in

vinea

vinea Cardinalis Carpenſis, Graecum Φ, illudque inuerſum habetur:

D ɸ M
M. AVRELIVS. AVGG
LIB ɸ HERMADIO. ɸ TABVL
XX. HER ɸ VINOS. SIBI
FECIT. ET. CALLIOPE. LIB ɸ
SVAE ɸ KAR ɸ ET. CETERIS
LIB. ɸ LIB ɸ SVIS POSTERISQ
IN. PR. P. XII. ɸ EORVM ɸ IN AG P. X
H. M. H. N. S

Ita quoque Ψ litera, in monumento, quod Emeritae, in domo MEXIAE eſt, ſingulis eſt vocibus appoſita. Quid, quod nonnunquam minuſculis literis, ad diſpungendas voces vncialibus literis exaratas, vſi veteres ſunt, vt R, Romae in S. Potentiana interiectum vocibus conſpicitur: V r S r IVDICANTI r PROCONS PROV r AFRICAE r. et ita per totum. Tandem, eam etiam figuram quae

V hodie

hodie incisi est, vocabulis adiunxerunt, vt in ara vltra Tiberim humi afflicta:

Q, PAPIDIO, Q, F, LEM
MVLIONI
MORATORI
LVDI, CIRCEN, ET
AGITATORI
FACTION, VENET
VIX, ANN, LX
RAPIDIA, MARITO
PIISSIMO
B, M, F

Ea autem, qua Graeci vsi sunt, interpungendi ratio, quo tempore ciuitate Romana sit donata, definire non est. Licet alienum a vero non videatur esse, eam CICERONIS demum aeuo cultam vulgo esse: (g) vt ex ASCONII PEDIANI in *Verrinas* notis colligi potest. quin, SENECA, quum de Graecorum interpunctis verba fecisset, *nos*

(g) Vid. CICERONEM, *Lib. III. de Orator. cap. XLVI.* Atque ista quidem verba, de puncto singulis vocibus adiecto accipienda non sunt. quantumuis LIPSIVS id contendit: sed neque de nostris posituris ea intelligenda esse, temere affirmandum. Confer. *Orat. cap. LXII*

nos etiam, inquit, *quum scribimus*, *interpungere consueuimus*. (h) Sed quae tandem haec fuit interpungendi ratio? Vnicum fuit punctum quod pro diuerso positu, vim etiam diuersam, atque nomina plura sortitum est. Τελείην στιγμὴν, quam *distinctionem* Latine dixeris, punctum in apice literae nouissimae positum, dixerunt. Atque id, quando consummata esset sententia, collocatum est. Hinc *finale* a DIOMEDE (i) vocatur, et respondet ei, quo in periodi fine vtimur puncto: Ὑποστιγμὴ, vel ὑποτελεία στιγμὴ, Latine *subdistinctio*, in ima est elementi parte posita; *qua pronunciationis terminus sensu manente ita suspensus fuit, vt statim id quod sequitur succedere debeat* (k) Μέση, siue *mediana*, medium literae tenuit. (l) quae cum subdi-

 stin-

(h) *Epist.* XXXX

(i) *Lib. II, p. 432.* Finitionem eius iustam DONATVS, *Ed. I, p.* 1742 suppeditauit

(k) Retuli ista verba ex DIOMEDIS, *Lib. II, p. 432* ibidem eam silentii legitimi notam dicit. Conf. DONATVS, l. c. et SALMASIVS, qui Graecam eius Graecis e Technologis finitionem attulit

(l) DONATVS ita eam finit: *Media est*, inquit, *vbi fere tantum de sententia, quantum iam diximus* (propositum est,) *cum tamen respirandum sit, huius punctum ad mediam literam ponimus. p. 1742.* Sed DIOMEDIS finitio multis eam post se parasangis relinquit: nam

ſtinctione hoc quidem habuit commune, vt vtrique, pendente adhuc ſententia adhiberetur, animique quandam interclusionem indicaret: ſed hoc inter illas differentiae obtinuit; illam fere ſub periodi finem; hanc remotius aliquanto a fine, et frequentius vſurpatam eſſe. quod intelliges ſi exempla quibus DIOMEDES vſus eſt, aliquanto curatius excutias. Immo, ratione morae etiam differunt, nempe huius eſt, vt *legentis ſpiritum*, DIOMEDIS verba refero, *breuiſſima ſolummodo reſpiratione refoueat et nutriat*: illa maiorem concedit moram. Ceterum, ſubdiſtinctio propius ad membrum; mediana ad inciſum accedere videntur. Grammatici veteres occupati, vt hoc addam in eo fuerunt, vt in *codicibus non ſolum, ſi quid erat titubatum a librariis, corrigerent, ſed accentus etiam, et diſtinctiones* (m) adiicerent, quod Graeca voce ςίξαι dictum fuit. Atque hoc etiam nomine, VALERIVS PROBVS apud SVETONIVM laudatur, quoniam multa exem-

nam *diſcretionem* eam ait eſſe, *quae legitimae diſtinctionis ſubdiſtinctionisque medium obtineat locum.* l. c

(m) CLAVDIVS SALMASIVS, cuius haec verba ſunt, *vidiſſe ſe etiam libros* ait *vetuſtiſſimos, in quibus apparuerit plane, ſcripturam eſſe ab antiquiori manu, quam accentus*

exemplaria contracta emendari ac distingui curauerit

II

CONSEQVENTI aetate, neque haec interpunctorum ratio, satis commoda, vt sunt homines rerum nouarum cupidi, visa est. Hinc *incisum*, *semicolon*, *membrum*, *interpunctum minus*, et *punctum*, nouae positurae, sunt exortae. Quantumuis autem ipse CICERO incisi et membrorum, (ita enim Graeca κόμμα et κῶλον (n) conuertit,) faciat mentionem: vereor tamen vt illae, quae hodie eo nomine veniunt notae, CICERONI cognitae fuerint: nempe quaedam ambitus periodiue partes, et numeri item, hisce nominibus insigniuntur. quorum TRASYMACHVS, vt SVIDAS refert; et ISOCRATES etiam ac GORGIAS, si TVLLII valet testimonium, auctores sunt: vnde deinceps notae, his seiungendis appositae, idem nomen traxerunt. Ipsa vero interpunctorum quibus hodie vtimur ratio, saeculo demum V videtur innotuisse: quod HIERONYMVS in ESAIAE translationem praefatur, se *interpreta-*

V 3

(n) *Orat. cap. LXII.* Verba ita habent: *Transferenda tota dictio ad illa, quae nescio cur, quum Graeci κόμματα et κῶλα nominent, nos non recte incisa et membra dicamus*

pretationem nouam nouo scribendi genere distinxisse. Si modo id de iis, quae iam obtinent posituris, capiendum. CAROLO autem Magno imperium tenente, PAVLLVS omnino WARNEFRIDVS, STRVVIO auctore, homilias et AVGVSTINI aliquot epistolas: ALCVINVS autem librum cui inscriptum *Comes*, posituris illustrarunt. a quo etiam tempore, vsu sunt in codicibus peruulgatae. Iam ille, qui hodie aliqua cum accuratione hisce vti notis volet, eum periodica arte, de qua Oratoria exponit, subactum esse oportet (o).

III

(o) Quare non committam, vt de periodi commoda strue, et quae inde efficitur bene morata oratione, clausulis, numeroque Oratorio, verba faciam: sed vnice de notis, quae in scriptu adhibentur, quaedam praecipiam. Atque de his agere, Grammatici esse, DIOMEDES euicit: *Etenim*, inquit, *hanc* (periodicam artem) *tametsi prosae orationi conuenire, et ad Oratorias virtutes pertinere artium Rhetoricarum praeceptores asserunt, ita vt auctoritas Tulliana testatur; tamen quia et particulam attingit artis Grammaticae* (Literaturae nempe) *huic etiam applicare pro simplicitate ingenii, non absurdum putaui. Nam structurae obseruatio bipartita, tam ad virtutes Oratorias, quam ad partes Grammaticales pertinet. Lib. II, p. 460*

III

PRIMO in censum venit nota haec: ,. Res ad quam pertinet *κομμα* (p) a Graecis; *incisum* a CICERONE dicitur. Ipsa nota a BEDA *incisio*; *caesum* ab aliis conuocatur. quae nomina a vi ipsi subiecta, videntur desumta esse. A forma, *semicirculus*, *virgula*, *comma punctum* et *semipunctum* dicitur. CICERONIS denominatio, quae ad notam transferri commode potest, prae aliis arridet omnibus. Lunatam autem haec nota, et quasi sigmatis deuexi prae se formam fert; (q) atque in ima literae parte est collocanda. Enimuero committere non possum, quin, antequam de positu eius dicam, quaestionem attingam hanc: abs quo inde tempore haec speciatim nota, in monumentis adhibita fuerit. Falleretur quidem ille, qui formam: ,. quae in: RAPIDIO, Q, F, cet. (quod monumentum in antecedentibus exhibui,) pro inciso haberet: positus enim eius cum eo, qui hodie obtinet, minime consentit. At, illa nota lunata, quae

V 4 in

(p) *Κόμμα*, a *κέκομμαι* dictum, *quasi trunca*, (vt festiue ATILIVS FORTVNATIVS exponit,) *pars membri a corpore amputata.* apud PVTSCH. *p. 2689*

(q) Vtrum a dimidia puncti parte; an vero a forma C literae inuersae; aut sigmate deuexo, sumta huius notae forma fuerit, non satis inter Literatores constat

in Obelifco quopiam Vaticano, quem SIXTVS V Pontifex inuictae cruci Saluatoris dedicauit, confpicitur, eo eft in loco collocata, vt ad iuftum incifi vfum propius accedat. Etenim in eius, quae verfus orientem fpectat latere, ita legitur: SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM VATICANVM DIS GENTIVM IMPIO CVLTV DICATVM AD APOSTOLORVM LIMINA OPEROSO LABORE TRANSTVLIT, ANNO M. P. LXXVI. PONT. II. (r) In vfu eius euoluendo, ita erit verfandum, vt ea quae veteres de ipfius natura praeceperunt, ad formam illis minime cognitam, transferamus. Eft autem incifum duplicis omnino generis: alterum in metro duobus continetur pedibus: (f) alteri vbique locus eft. atque de huius nota nunc videndum. quae ita

(r) Refert hanc infcriptionem BOISSARDVS, *Topogr. p. 187.* Apud eundem in alia, quae *p. 66* habetur infcriptione, incifum confpicitur: ni quid forte a MARLIANO titubatum eft in defcribendo. Atque Graecis quidem in codicibus antiquiffimis virgula confpicitur. Vid. BERNARDVS DE MONTFAVCON in *Palaeographia Graeca Lib. I, cap. IIII, p. 32*

(f) Huc fpectat iftud BEDAE: *Comma dicitur, vbi poft duo pedes nihil remanet. Lib. de Metric. p. 2369*

ita finiri poterat, vt sit *nota, qua seiunguntur voces hae, quarum vna non proxime ab altera regitur.* (t) Nec videtur aliter finiri incisi nota posse; si consideres QVINCTILIANO (v) incisum esse, *sensum non expleto numero conclusum:* DEMETRIO vero, τȣ̃ κώλȣ ἐλάττον. Missa itaque quantitate et qualitate (x) incisi, quasdam de notae incisi positu regulas adferam. I) Si quae incidentes dictiones orationi inserantur, et vniuerse ambitus atque circuitus periodi adsit, vtrinque reponenda incisi nota: et quando interiunctionis (parenthesin vocant) notae adsint; vtrinque ante istas notas collocatur. Iam si interiunctio vnius sit, aut paucorum verborum, abesse incisum sine vitio, si modo parentheseos notae adsint, potest. II) Locus ei non est tum, quando Grammatica strues iam

 fue-

(t) DORNAVIVS, hunc in modum incisum definit: *Comma est pars periodi, forma semicirculi notata; qua pronunciationis terminus, sensu manente, ita suspenditur: vt statim id, quod sequitur, vi constructionis Grammaticae succedere debebat. in Libell. Method. de Periodis, p. 87.* Vid. DIOMED. *p. 460, et* VALERIVS PROBVS, *p. 1390.*

(v) *Lib. IX, cap. IV*

(x) Superuacanea ea videtur opera esse, quam, in qualitate incisi, et variis quae inde emergunt distinctionibus recensendis, DORNAVIVS, l. c., consumsit

fuerit exacta. III) Comma ſingulatim voces incidere poteſt, quum Aſyndeton occurrit; (y) et vbicunque *minima*, vt LIPSIVS ait, *reſpiratio* eſt. Neque etiam copulatiuum *et*, ita vincit voces vna plures; vt inciſum adhiberi nequeat. Ceterum, ſolet ſe comma intra octenarium ſyllabarum numerum continere. (z) Dici autem non poteſt, quantum ſententiae et perſpicuitatis interſit, quo inciſum loco adhibeatur. vnico vtar exemplo. Si in HORATII verbis his:

- - *Namque* DIESPITER
Igni corruſco nubila diuidens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,

ad vocem *diuidens* inciſum collocaueris, quod TVRNEBVS, STEPHANVS, LAMBINVS, CRVQVIVS, BERSMONA, alii, probant; non modo ſenſus tenebris erit obuolutus: ſed ne cum vero quidem, iſta verba conſentient; quum IVPITER, teſte LVCRETIO, nunquam puro caelo, fulmen in terras iaciat. Iam vero ſi inciſum poſt vocem *plerumque* poſueris, quod BANGIVS, BENTLEIVS, BAXTERVS et alii

(y) Vid. DIOMEDES, *Lib. I, p 461*, et DAVSQVIVS, *p. 139*

(z) Videatur DORNAVIVS, l. c. Extiſtimat autem ea commata, *quae pluribus*, quam *quatuor conſtant verbis*, non ita frequentari

alii fecere, commodum haec verba ſenſum fundent (aa)

IIII

ALTERA apud recentiores Grammaticos poſitura *ſemicolon* dicitur. Iſta autem denominatio, quum hybrida eſt, *dimidium* eam *membrum*, (ſi eſt ea in effingendis vocibus, quam CICERO et HORATIVS conceſſerunt libertate vtendum,) dixerim. Malunt autem alii eam notam *minus colon* dici. Forma ipſa ſumta partim ab inciſo; partim a membro, ita vt inciſum ſuppactum colo ſit, hunc ad modum: ;. eaque idonea maxime eſt ad declarandam poteſtatem ſibi ſubiectam: *medium enim locum et naturam* (DORNAVII verbis vtor) *inter colon et comma obtinet*. Vſus huius notae, ad has reuocari quae conſequuntur regulas poteſt. I) Quando in Grammatica ſtrue, quaedam ad conſummandum ſenſum

(aa) Nempe hunc: portentoſum quidpiam eſſe, IOVEM, qui vtplurimum (ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον) nubilo caelo fulmen iaciat, iam puro (δι' αἰθρίας) ea vibraſſe. Vetus etiam Scholiaſtes hanc ſuadet interpunctionem, vt qui de IOVE ita ſcribit: *Qui nubilo caelo corruſcare conſuevit*. Confer BECMANVS *Manuduct. p.* 72. ſ. Ceterum, BAXTERVS male fert, BENTLEIVM, hanc quae ſibi debeatur emendationem, BANGIO tribuiſſe

ſum deſiderantur. II) In diſiunctis, oppoſitis connexis, (inter id nempe quod antecedit, et conſequitur,) inque omni partitione, ſuus eſt et iuſtus dimidio membro locus. III) Vniuerſe vſurpari iis in locis poteſt, vbi interclusio animae, ita eſt comparata, vt membri poſitura, nimium morae allatura eſſet; inciſum autem momentaneum nimis foret (bb)

V

MEMBRI, quod Graeci κῶλον (cc) dicunt nota, geminis punctis, ſubiecto vno, altero ſuperimpoſito exſcribiur, vt : :. ATILIVS quidem FORTVNATIANVS hanc poſituram ad Proſodiam refert, eamque *partem*, *ſiue partes verſus*, *integris pedibus impleti* eſſe ait. (dd) Sed de eo dicere nihil attinet: conſideratur enim membrum hic, qua eius in circinandis periodis vſus

(bb) Vid. DAVSQVIVS, *Tom. I, p. 138.* MANVTIVS ita effert: *Interdum etiam ſemicolon locum habet in iis locis, vbi ſententia ita variatur verbis, vt ſi ſemicirculum apponas, parum ſit, ſi gemina puncta, nimium*

(cc) Ea vox diuerſimode apud Graecos accipitur: ſcapos enim, id eſt particulas chartae agglutinatas κῶλα dixere. Medici inteſtinum laxum κῶλον vocarunt: Sed hi non ſunt huius loci ſignificatus. Praecipue autem membrum notat

(dd) *Pag. 2689*

vſus est. Forma huius positurae in antiquiſſimis eſſe ex his, de quibus iam ago notis, videtur: namque videre ea est in epitaphio, quod Labelli, Appuliae oppido, inuentum eſſe dicitur, hisce in verbis: ITA LEIBERTATE ILLEI ME: HIC. DECORAT STOLA ET PVPVLA. (ee) Iam ventum ad membri notae finitionem. Ac SVIDAS quidem eum eam in modum ſuppeditauit; vt omnia ad priſcum per κῶλα et κόμματα ſcribendi morem (ff) videatur retuliſſe. Poteſt autem iſta nota; *geminum* commode *punctum*, *quod in conſummatis propoſitionibus vſurpatur*, (gg) dici. Itaque I) ponitur tum, quando Grammatica verborum compages, adducta ad finem eſt. II) Si qua periodus vna pluribus conſtet propoſitionibus partibuſue; in cuiuſuis earum fine, membrum erit collocandum. Ergo bimembri in periodo, vt ab ea ordiar, ſua ipſi inter πρότασιν et ἀπόδοσιν, atque fixa ſedes

(ee) Aliud exemplum vide apud BOISSARDVM, *p. 15*

(ff) Conf. BERNHARDVS DE MONTFAVCON in *Palaeographia Graeca Lib. I, cap. IIII, p. 30 et 31.* Specimen huius ſcriptus apud eundem, *Lib. III, cap. IIII, p. 219*, habetur

(gg) Facile in hanc redigi poſſunt, DIOMEDIS *(p. 461,)* M. VALERII PROBI *(p. 1390,)* LIPSII, DORNAVII, aliorumque definitiones

ſedes eſt: ni vnum hoc forte obſtet, Grammaticam ſtruem, ita arcte vtramque propoſitionem vincire atque conſtringere, vt diuelli nequeant: praeſtat enim hic loci dimidium membrum ſcripſiſſe, vt in illo conſummati oratoris: *Qui ſemel iracundiae fines tranſierit; eum bene et nauiter oportet eſſe impudentem.* Quodſi autem quaedam bimembris periodi pars, ſiue antecedens ea fuerit; ſiue conſequens, in alias duas partes, vt fit in trimembri, diducitur; videndum, num cuique parti, iuſtus ſit propoſitionis tenor; nec ne. illud ſi obtinuerit, membrum: ſin minus, aut dimidiatum membrum; aut inciſum, vt res fert, ſcribendum eſt. Quadrimembri in periodo, quando duae ſint, et antecedentis et conſequentis Logicae propoſitiones; nihil obſtat, quo minus quamque propoſitionem membro diſpungas: idque in χιαζομένη (hh) etiam, quam vocant, valet. Nec aliter inſtituendum eſt, ſi aut antecedens aut conſequens, tribus propoſitionibus conſtet. Quando autem id ſecus eſt, et Grammatica conſtructio vlterius protenditur, idem eſt, quod in trimembri periodo faciendum.

(hh) Hoc ipſi nomen a Graecanica literae X forma eſt; atque his attribuitur periodis, in quibus duabus propoſitionibus totidem redditiones reſpondent. Exemplum e CICERONE, HEINECC. in *Fund. St. C.* attulit

dum. In περιοδικοῖς, πνεύμασι, τάσεις et σχοινοτένεσι, non ſolet membrum poni, licet Grammatica conſtructio finita fuerit: niſi ſuis numeris abſoluta propoſitio ſit, et id quod praecedit προτάσεως: quod autem conſequitur ἀποδόσεως vicem ſuſtineat. III) Si qua expoſitioni probatio ſubiicitur, et vniuerſe, quando aliqua ratio cuiuſdam rei eſt reddenda, inter eam ac id quod probatur, membrum poni obſeruatum eſt. IV) Cum qua ſcriptoris cuiuſdam verba, ita vt habent, (ii) aut inſigniores ſententiae inſeruntur orationi, membrum, eo quo incipiunt loco, repoſuiſſe iuuat

VI

INTERPVNCTVM minus quod recentiores, neſcio qua auctoritate, poſiturarum e numero proſcripſerunt, punctum eſt in ima elementi parte poſitum, quod vncialis litera non conſequitur. Atque hoc tantum fere a finali puncto, quantum dimidium membrum ab ipſo membro, diſtat. Haec nota vſurpatur tum, quando conſtructio omni ex parte adducta ad finem eſt; et ſenſus etiam percipi, licet nihil conſequatur poſſet: ſed idem tamen argumentum ita tractatur, vt id quod ſequitur faciat,

(ii) Non eum in modum, vt quartus caſus Infinitiuo iungatur

ciat, ad plenius intelligenda ea quae praemissa sunt. Itaque interpunctum minus differt omnino a membro: nam si quod periodi membrum auferas, mutila efficietur, nec iam intelligi poterit: id autem quod interpunctum consequitur, abesse saluo sensu potest. A maiori item interpuncto diuersum est: in minori enim interpuncto, idem continuatur argumentum; in maiori non item: interpunctum minus perficit sententiam: maius, iam consummatam eam esse notat. Videor autem mihi, CICERONIS in exemplis quae correcte exscripta sunt, obseruasse: quemadmodum sumtiones membro; ita complexionem ab his minori interpuncto seiungi: itemque id scribi si qua propositio, quae abesse etiam poterat, periodo intexitur ope, *ac*, *atque*, *et*, particularum (kk)

VII

MAIVS interpunctum, quod etiam καθ' ἐξοχὴν punctum vocatur, *colis aut commatibus*, *seu incisis*, vt iam DEMETRII verba referam, *circa propositam sententiam occupa-*

(kk) Exemplum est in his verbis: *Quasi stante terra caelum moueretur. atque hoc etiam* PLATONEM *in* TIMAEO *dicere quidam arbitrantur. Acad. Quaest. Lib. II, cap.* XXXIX

cupatis, *perfectissime absolutis*, ponitur. Est autem ea positura punctum, in basi literae collocatum, quod maiuscula insequitur litera, *quo sententia*, VT MANVTIVS ait, *concluditur atque terminatur*. Potest autem sensus paucissimis exponi verbis, vt in illo HORATII. *Haec hactenus*. Atque MANVTIVS quidem in his, *vbi concisa sententia est*, *et concisa iterum altera subsequitur*, *gemino puncto* vti, *quam vnico*, mauult. Porro quum ea est interpuncti maioris potestas, vt periodos ab se inuicem seiungat: cogitur inde, nullum eius vsum esse in orationis fine. ergo nec scribendum. Ceterum, in scriptionis etiam compendiis atque notis adhibetur

CAPVT III

DE SENTENTIARVM ET VERBORVM NOTIS

I

ADMIRATIO, non puncto vnice, quod MANVTIVS sufficere existimat, sed linea recta puncto imminente, notatur, hunc in modum : ! . Fuisse autem hoc signum ex multo inde tempore a Literatoribus adhibitum, ex quodam epitaphio, quod in Gallia ad Soliacum oppidum Lemoui-

censium repertum est, potest intelligi: habentur enim in eo verba haec: QVO MINISTERIO! AH SCELVS! O DILECTAM MI QVONDAM FACIEM! PAPE! A TAT! cet. (ll) quo etiam ex monumento perspicitur hoc, vniuerse exclamationis signa, vehementioris animi commotionis indices esse. Itaque existimandum non est, alligatum eius vsum vnice atque adstrictum ad exclamandi particulas esse. qui hodie peruulgatus error est: patet enim ita late, vt in precibus etiam fundendis, votis, et vbicunque, quoddam animi πάθος exprimendum est, haud inepte ponatur. *Interrogationis* vt ad hanc pergam, *nota*, *est punctum superposita virgula bis curua sursum eunte.* (mm) Aliis flammula, aut sigma diductum puncto impositum videtur esse. Est eius figura haec: ?. Atque illa nota locum fere non habet, nisi quaestio nude proponatur, et satis euidens sit. Itaque quando ea quae consequuntur, quaestionem non esse loquelam, quae poterat videri, arguunt, adhibenda ea nota non erit. Ad *parenthesin* deuenio. quod nomen non ita est quemadmo-

(ll) Epitaphium hoc, quod BOISSARDO a CLAVDIO COLADONIO Bitaricensi est communicatum, in *Topograph. Lib. II, p. 14*, legere est

(mm) Haec DAVSQVIO verba debeo, quem vide, *p. 139*

modum CHARISIO visum fuit accipiendum; vt qui literae in voce *relligio* adiectionem, eo nomine insigniuit: sed notae quibus intextae atque incidentes propositiones notantur. Mallem tamen QVINCTILIANI vocabulo vti, qui istas propositiones *interiunctiones* conuocauit. Alii *hyperbasin*, *adinteriectionem*, *aut adinterpositionem*, eam dici posse opinantur: Ea autem nota, vtplurimum lunata forma, ita vt cornua alterius lineae inuersae, ad sinistram; alterius ad dextram versae sint, scribitur, hoc modo: ( ). Vnci, figura, non re, ab hac nota differunt: qui enim id differentiae in his notis opinatur esse CELLARIVS, vt illa, incidentibus in propositionibus: haec in spuriis vocabulis suppositisque adhibeantur; LVCII et SARDICAE, miserorum amantium, quod iam adduxi monumento, refutari poterat: in eo enim, [O SI NON FVISSEM] legitur: item [CEDO LVCI, SICCINE EST], [VT FIT] DVM ACCVMBITVR PVERE PROXVMA VICINIA ARVNDINE [QVA IN ADIACENTIS HORTVLI ARBORE CONCIDENTEM AVEM INDIPISCERETVR] PER FENESTRAM INTRORSVM ARCV ADACTA MALE DESTINATO ICTV [PROH DOLOR] LACRVMAE

VERBA SORBILLANT] NOBIS IN ALTERIVS CONSPECTV VTROQVE CONVIVANTIBVS VITAM PECTORIBVS TRANSFIXIS AVFERT. Ceterum notandum hoc, non quibusuis in propositionibus incidentibus exſcribere has notas de neceſſitate eſſe; ſed inciſum eius in locum adhiberi poſſe, vt in his: *vt fit*; *vt tum tempora erant*; *vt hoc vt ir*, cet. *Aſteriſco*, de quo iam videndum, voces aliunde arceſſitae; aut in quibus aliquid eſt obſeruandum, notantur. Forma eius haec eſt: *. qua ORIGENES iam ac HIERONYMVS frequenter ſunt vſi. Olim autem διὰ τȣ̃ X ϛοιχείο͂, vt EVSTATHIVS refert, τετ(ρ)αϛιχῆ ϛιζομένου; *per X literam a quatuor oris punctam* effiKta eſt, ad hunc modum: ⁘X⁘

II

PAVLLO ſunt ab vſu remotiores notae hae, quae conſequuntur. Primo Ὑφ(ὲν), ſiue coniunctio, virgula eſt *ſurſum cornuta*, vt iam DIOMEDIS vtar verbis, *ſubiacens verſui, et inflexa ad ſuperiorem partem*, (nn) vt: ‿. Ea autem, quando ſuppoſita

(nn) *Lib. II, p.* 429. Huic reſpondet PRISCIA-

posita verbis est efficit, vt duae voces ita efferantur, ac si in vnam coaluissent. (oo) Διαστολὴ siue disiunctio, *est dextera pars*, vt veteres Grammatici finiunt, *circuli*, *ad imas literas deposita.* (pp) Atque haec nota ad discernendum male cohaerentia adhibetur, vt in VIRGILII verbis his: *Procubuit viridique in littore conspicitur, sus*: ne *vrsus* legatur. *Obelus*, superuacaneis atque spuriis loquutionibus fuit superiectus. Non vna autem huius notae forma fuit. HIERONYMVS, hanc eius fuisse figuram, quae consequitur refert: —·— quam et *hypolemniscum* vocant: EPIPHANIVS ÷: ISIDORVS —. *Agnostimenon* dicta forma haec: ⸚: λημνίσκος ita se habebat: ÷. (qq) *Paragraphi* nota est: Γ. qua nexae inter se res separantur. ⅂, *posituræ* est figura, quae contraria paragrapho est; ac in fine a principio loquelae

 se-

SCIANI definitio, quae habetur, *Lib. de Accent. p. 1287*: nec non DONATI, *Edit. I, p 1741.* Add. SCALIGERVM *cap. LVII, p. 125*

(oo) DIOMEDES vtitur exemplis his: TVRNVS *vt ante* ‿ *volans, et, ante* ‿ *tulit gressum, et, quam simul* ‿ *ac tali praesentit peste teneri*

(pp) Vid. DIOMED. et PRISCIAN. l. c

(qq) Vid. DAVSQVIVM *p. 168.* qui et asteriscum, cum obelo ab ARISTARCHO esse coniunctum refert

ſeparando adhibetur. Ƴ, *antigraphus*, in tranſlationibus vſurpatur: Ʊ, *cryphia*, quaeſtionibus in obſcuris poſita eſt: Ↄ, *antiſigma*, quando ordo eſſet immutatus ſcriptum fuit: <, *diple*, eccleſiaſticis ab ſcriptoribus, in ſanctis ſcripturae teſtimoniis excitandis adhibitum: >, *diple* πλεκτικ‥ vel περιςατική. quam LEOGARA Syracuſanus primus in voce ὄλυμπος vſurpauit; vt quando montem indicaret, et caelum internoſci poſſet. >, *diple* περιεσιγμένη, locum in iis habuit, in quibus ZENODOTVS Epheſinus titubauit. ><, *diple aduerſa et auerſa, ponitur finita ſuo loco monade; ſignificatque ſimilem quoque eſſe ſequentem.* haec ISIDORVS. Alia etiam eſt diple obelo ſubiecta; alia ὠβελισμένη. *Ceraunium*, cui figura haec eſt: ↓, poſitum eſt, quando multi verſus fuerint ſuppoſiti. Ɣ, *ancora ſuperior*, ſcribitur, *vbi aliqua res magna omnino eſt*: ⅄, *ancora inferior, vbi aliquid viliſſime, aut inconuenientius*, vt ISIDORVS (rr) ait, *denunciatum eſt. Coronis*, huius figurae: ⸏. in fine fuit adhibita. Mitto iam *chreſimon*, ἄλογον, *phicaero*, et alias quae rariſſime occurrunt, ſententiarum et verborum notas

CAPVT

(rr) *Lib. I, cap. 20*

CAPVT IIII
DE SCRIPTVRAE COMPENDIIS

I

A GRAECIS omnino compendiaria scriptio videtur repetenda esse. DIOGENES enim LAERTIVS in XENOPHONTE, Καὶ πρῶτος, inquit, ὑποσημειωσάμενος τὰ (ἀπο τοῦ Σωκράτους) λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγει, ἀπομνημονεύματα ἐπιγράψας. (a) *Primus omnium, quae dicebantur* ab SOCRATE, *notis excepta in publicum edidit, commentaria inscribens. Romae* autem *primus* TVLLIVS TYRO CICERONIS *libertus commentus est notas, sed tantum praepositionum. Post eum* TERTIVS (quod praenomen LIPSIVS non praeter rem eradendum putat esse) PERSANNIVS *Philargyrus, et* AQVILA MAECENATIS *libertus alius alias addiderunt: deinde* SENECA (pater) *contracto omnium digestoque numero, et aucto opus effecit in quinque millia.* Idem qui haec refert ISIDORVS alio in loco, *Vulgares*, inquit, *notas* ENNIVS *primus mille*

(a) *Lib. I, cap. VI, n.III, p.m. 183.* Vniuerse autem de hoc argumento, conferatur IVSTVS LIPSIVS *Centur. I ad Belgas Epist. XXVII:* ISIDORVS *Lib. I cap. XXI*, et DAVSQVIVS *Tom. I, p. 192*

mille et centum inuenit. Quum autem c ciliari ista inter se nequeunt; PERSANNI videtur pro ENNIO reponendum e Itaque TYRO potissimum, (quod EV: BIO etiam videtur,) PERSANNIVS et QVILA in iis erunt habendi, qui literaru apud Romanos compendia excluserii Nec DIO etiam CASSIVS dissentire L PSIO videtur, qui MAECENATEM ipsu loco eiusdem liberti adducit. Compend autem scripturae genus dixerim esse, cu tanquam formae subiectae sint *notae* et *s gla.* Notae, si subtiliter exsequare, lite rae non sunt; sed figurae ac lineae varii modis flexae. Exempla DAVSQVIVS de dit. Sigla autem vel singla, singulariae sunt literae, sine coagmentis literarum. Atque hoc ipsa Notatio vincit: sigla enim ex *singula* per συγκοπὴν est flexum. Sed, vt nunc est, nullo fere ea diuersitas loco habetur. Plerumque enim sigla dicuntur notae et scripturae etiam compendia. Siglis autem prisci Romani potissimum in praenominibus, tabulis votiuis ac sepulcralibus fuere vsi. *Notarum*, vt ISIDORVS refert, *vsus erat, vt quidquid pro concione, aut in iudiciis diceretur, librarii scriberent complures simul adstantes, diuersis inter se partibus, quot quisque verba, et quo ordine exciperet.* Possunt autem vel hodie etiam scripturae adhiberi compendia: sed tene-

tenendae leges hae. I) Eſt quidam dele-
ctus ipſis in ſcripturae compendiis haben-
dus. Atque ea, quae recentiori demum
aeuo adinuenta ſunt, omnino ſcribenda
non eſſe videntur. II) Sigla, tum in qui-
bus ſingulae literae ſingulas indicant vo-
ces, vt S. P. Q. R. *ſenatus populuſque Ro-
manus*; tum in quibus quaedam tantum
literae excluduntur, vt COS. *Conſul*;
vſurpari hodie in indicibus ac topographi-
is, maiuſculis literis exaratis, poſſunt.
Sed ea lege, vt ne difficiles habeant expli-
catus. Itaque: B. D. S. M. F. *bene de ſe
merenti fecit*: S. E. T. L. *ſit ei terra le-
uis*: O. E. B. Q. C. *oſſa eius bene quie-
ſcant condita*: V. S. L. M. *voto ſuſcepto
libens merito*, cet. commode ſcribi in mo-
numento poteſt: non autem: GN. N. H.
M. Q. *genus noſtrum hoc monumento quie-
ſcit*. III) Notis et literis variis inter ſe
ductibus nexis, hodie locus non eſt. Er-
go κακοζηλίαν redoleret, ſi quis figuram
hanc: , pro *hunc locum ſibi teſta-
mento ordinauit*, ſcriberet. IIII) Minu-
ſcula in ſcriptione, compendiaria ſcriptio
non temere, niſi in praenominibus; *cet.*
pro cetera et *rel.* pro reliqua, videtur vſur-
panda eſſe

II

SVBIICIAM nunc aliquam compendiorum scriptus ac praecipue siglorum συλλογή. In quam autem non nisi ea referam, quae aliquanto videntur impeditiora esse. A, vnde ordiendum, *pueritiae* est nota, auctor ISIDORVS: AA. *Augustalis*, in RHODII et FERRARII manuscriptis: AAA. AVGVSTI tres, Theodosianus codex habet: A. A. A. AVG. *auri*, *argenti*, *aeris*, AVGVSTI, subaudi *exactor*, in marmore: A. A. A. F. F. *auro argento aere flando*, PIERIVS: A. A. C. *ante dicta caussa*, edicta Praetoria: A. A. L. M. *absens* ANTONIVS *lege mandauit*, siue *legauit monumentum*, MANVTIVS: A.A.L.R. *adhuc augures locum requirunt*, GRATIOSVS: A. A. S. E. V. *alter ambòue si eis videbitur*, solemnia Senatorum consultorum verba: A. A. S. L. M. *apud agrum sibi locauit monumentum*, MANVTIVS: A. A. V. S. L. M. *apud agrum viuens sibi locum monumenti*, PROBVS: A. B. M. *amicae bene merenti*, in monumentis Brixianis: ACCIN. *actionem*, manuscripta RHODII: A. Ↄ. L. AVLI *collibertus* vel *colliberta*, in libertorum monumentis: ACO. *accusatio*, MAGNO: A. C. P. VI. *a capite* vel *ad caput pedes VI*, in sepulcralibus: AD. *adiutor*, in magistratuum lapidibus: AD. QSR. ad

ad Quaestorem, SARAINAS: AEDIL. C. C. N. D. D. S. P. *Aedilis curulis* siue *cerealis coloniae numini deuotus de sua pecunia posuit*, in NERVAE inter Auentinum et Tiberim monumento: A. F. P. R. *actum fide P.* RVTILII; ita SCAVRVS quum RVTILIVM ambitus accusaret, has est literas interpretatus; RVTILIVS autem ad hunc modum: *Ante factum post relatum*; C. FANNIVS eas ita exposuit: AEMILIVS *fecit plectitur* RVTILIVS. auctor TVLLIVS. A. H. D. M. *amico hoc dedicauit monumentum*: AID. EX. S. C. *Aediles ex Senatus consulto*, Praeneste in monumento ad sacellum: A. L. AE. *arbitrium liti aestimandae*, TREBELLIVS; vel, *arbitrium loci aestimandum*, MANVTIVS: A. L. B. *auorum liberi*, manuscripta RHODII: AL. III. VIN. *ala tertia Vindelicorum*, LAZIVS: A. L. P. *animo lubenti posuit*, votiuis in lapidibus: AM. M. CON. ET. SIB. *amico monumentum condidit et sibi*, in monasterio Bela, prope Graczium: A. M. S. D. A. *augures male senserunt de auibus*; vel, *a monumento suo dolus abesto*, passim. AN. DVPL. *annona duplare* subaudi *donatus*, in decima ab Ebora lapide, in praedio cui nomen Mesquita: ANG. *anno gratiae*, in PAVLLI ARINGHI Roma subterranea; nisi indicat *angelum*. quod SERTORIVS VRSATVS suspicatur: ANTIK. *Antikanum*

num ſcilicet *municipium*, Antiquariae in Hiſpania: A. O. F. C. *amico optimo faciundum curauit*, SCALIGER: AP. A. L. M. *apud agrum locus monumenti*, GRATIOSVS: A. P. P. V. F. *ad populum plebemue ferant*, BRISSONIVS: A Q. E. I, *aqua et igni*, PROBVS. AQL. *Aquileia*, Carnorum olim ſiue fori Iulii vrbs: A. RA. MIL. FRV. *a rationibus militaris frumenti*, SCALIGER: ARBOR. SACR. L. D. D. ATTAC. ARDVER. *arbores ſacri luci deae die attactae arduerint*, Ambaruali in lege: A. RET. P. III. S. *ante retro pedes tres ſemis*, in ſepulcralibus: ARG. R. V. P. S. P. *argento rudi viuus pecunia ſua poſuit*, GEORGIVS GVALTERVS: AER. R. ST. *aerarium Romae* SATVRNI; GRATIOSVS: AR. V. V. D. *aram votiuam volens dedicauit*, SCALIGER, A. S. L. F. *ad ſuam legem fecit*, manuſcripta RHODII: A. T. M. D. O. *aio te mihi dare oportere*, BRISSONIVS: A. T. V. *aram teſtamento locauit*, in lapide Romae, in via Salaria reperto: A. V. C. COS. AVGVSTO *viro clariſſimo Conſule*, in codice Theodoſiano

B. A. *bixit annis*, pro vixit: B. B. *bene bene*, id eſt optime, Romae in horto templi S. PAVLLI. SCALIGER interpres: B. E. I. T. *bona eius iuſte tributa*, GRATIOSVS: B. Ⅎ. *bona filia* ſiue *femina*, SA-

RAINA:

RAINAS: B. F. H. *bonae fidei homo*: B. F. L. *bona fide legauit*: B. H. S. I. *bona hic sita inuenies*, DIACONVS: B. H. X. I. *bene heredem decimum instituit*, GRATIOSVS: B. K. *badio Kaesio*, ad colores equorum spectat, auctor PANVINIVS: B. M. ET. S. P. Q. S. *bene merenti, et sibi, posterisque suis*, Romae ad portam Latinam: B. λλ. F. *bene merenti fecit*, Romae in hortis Carpensibus: B. M. IN. P. FERVNT. *benemerenti in pace fecerunt*, in Romae Subterraneae saxo: B. M. P. I. *bene merenti posuit infelix*, in Abrugbania Transsiluaniae: B. NN. *bonis nominibus*, boni ominis formula: BON. R. P. N. *bono reipublicae nato*, CONSTANTINI M in monumentis: BO. R. E. C. H. *bonum requietorium ei curauit heres*, Romae in palatio Capranicensi: B. QVES. IN. P A C. *bene quiescat in pace*, in Romae Subterraneae monumento: BREG. PVBLIC. D. D. *Bregentionenses* vel *Bergetionenses publicani dedicarunt*, Bergetione: B. S. D. BELENO *sacrum dedit*, Aquileiae in monumento: BX. ANVS *vixit annos*, in Romae Subterraneae lapide literato

C. CAIVM, Ɔ. CAIAM notat: centuriae notas infra dedi: CAIS. *Caesaris*, in ruinis pagi Marquesiae, in Lusitania: C. AL. *Caius Ailius*, in Aeliae gentis apud VRSINVM numis: C. C. C. *censa ciuium capita*

pita, APPIANVS. quod tamen alia etiam admittit interpretamenta: C. C. Ↄ. L. L. CAIORVM *duorum colliberti*: C. C. D. D. PVBL. *corona ciuica data decreto publico*: C. C. M̄. M̄. *collegium centonariorum*, (id est, qui centones, aut vela conficiebant,) *municipii Meuaniolae*: CENS. T. H. C. *Censitori* (censuum impositori) *Hispaniae citerioris*, Torracone: CERT. SACR. CAP. OEC. IS. HEL. *certamen sacrum Capitolinum oecumenicum Iselasticum Heluium*. de eo ludo vnus TRISTANVS DE SANCTO AMANTIO, quem SERTORIVS excitat, exposuit: C. F. C. *claui figendi caussa*, MANVTIVS: C. H. M. *consecrauit hoc monumentum*, Romae in fragmento arulae, in coenobio S. PETRI, reperto: C̄H̄Ō. CHRISTO, in Roma Subterranea: C. I. C. I. O. M. S. CAIVS IVLIVS CAESAR IOVI *optimo maximo sacrauit*. habentur istae literae in CAESARIS lucerna, quam e SACCHI Eleochrymatum volumine reddidit FORTVNIVS LICETVS Geneuensis. (*) C. I. O. N. B. M. F. *ciuium illius omnium nomine benemerenti fecit*, Romae apud M. AEMILINVM: C. I. P. C. N. M. *colonia iulia paterna Claudia Narbo-*

(*) in libris sex *de Lucernis antiquorum reconditis*, *Lib. VI*, *cap. II*, *p. 566*, ed. Vtin. ex Typogr. NICOLAI SCHIRATTI, Ann. 1652

Narbonensis Martia, SCALIGER: CIVES VE. *ciues Vesuntini*, Vesuntino in saxo: C. K. L. C. S. L. F. C. *coniugi carissimo loco concesso sepulturae, lugens fieri curauit*, Antipoli: C. Ɔ. CAIVS *libertus*, LAZIVS: Ɔ. Ɔ. CAIA *liberta*: ƆƆ. Ǝ. *clarissima filia* aut *femina*, MANVTIVS: Ɔ. Ɔ. Я. *coliberta carissima*, TREBELLIVS: CN. CN. L. CNEIORVM *liberta*, Narbone ad moenia: CN. POMP. M. AVO. T. ANTO. M. IVL. SERAN. IIII VIR. CNEIO POMPEIO MARCO AVONIO, TITO ANTONIO, MARCO IVLIO SERANO *Quatuoruiris*, in TIBERII numis: COACT. A. CONL. ABD. I. E. L. F. E. *coactus a collega abdicauit, in eius locum factus est*: COH. I. AEL. DAC. *cohors prima Aelia Dacica*, apud Willifordum, iuxta vallum SEVERI: COH. III PR. M. I. F. *cohors tertia Praetoria Martia Iulia felix*, Romae, in palatio Cardinalis MEDICINI: COIV. B. M. *coniugi bene merenti*: COL. IVL. AVG. F. HEL. *colonia Iulia augusta felix Heliopolis*, SANTAMANTIVS: COM. OB. *comes Obrizi*, REINESIVS: C. O. N. O. B. quibus de literis CEDRENVS in THEODOSIO ita exponit: Ὅτι τὰ ἐν τοῖς νικαρίοις τοῦ νομίσματος ὑποκείμενα Ῥωμαϊκὰ γράμματα δηλοῦσι ταῦτα, τὸ Κ, κιβιτάτοις· τὸ Ο, ὄμνις· τὸ Ν, νόστρ*:

νόςεω· τὸ Ο, ὀβεδιέντο· τὸ Β, βενερατιόνε. *Romanae literae quae in victoriatis numis conspiciuntur hunc in modum possunt interpretari : C est pro ciuitates ; O pro omnes ; N pro nostrae ; O pro obediunto ; B pro veneratione.* CONR. PROV. SICIL. *Correctori prouinciae Siciliae*, Lilybaei in Sicilia : CON. SEN. ET. EQ. OR. P. Q. R. *consensu senatus et equestris ordinis, populique Romani*, in AVGVSTI numo : CON⊕V⊕E⊕ F⊕, *coniux viro egregio fecit*, Kuendorfii in Stiria ad parietem templi : ƆO. OMN. D. I. M. N. *contra omnes deos inferos maledictos nunc*, prope Veronam in valle Turpiliana : COST. *custodiam*, Romae in monte Citatorio in tabella Tiburtina : COS. XIII LVD. SEC. FEC. *Consul decimum quartum ludos saeculares fecit*, in DOMITIANI numis : C. P. *cui praeest*, apud Willifordum, iuxta vallum SEVERI ; vel, *cum praeterito*, Romae ad S. MARIAE in Dominica : C. S. H. S. S. S. S. V. T. L. *communi sepulcro hic siti sunt, sit vobis terra leuis*, in sepulcralibus : C. V. *clarissimo viro*, Interamnae, in basi marmorea ad D. IOH. BAPTISTAE : C. V. T. QQ. V. P. XXX. *curauit viuens tumulum quoquouersum pedes XXX*, in lapide sepulcrali

DB. C. D. C. D. E. *diebus* CAESARIS *Dictatoris caussa dicta est*, DIACONVS :

D.

D. B. S. F. *de bonis ſuis fecit*, PROBVS: DD. C. P. *deuoti Cordubenſes poſuere*, Cordubae: D. D. D. *datus decreto Decurionum*, Veronenſi in ſaxo: D. D. EX. P. P. *dono dedit ex propria pecunia*, Torracone in fragmento: D. D. S. M. *dedicatum ſoluit merito*, Romae, ad D. GREGORII in vinea NICOLAI MACARANI: DEN. *denatus*, id eſt defunctus, Veſunae in horto BARBARINI: DIANAE. LOCH. S. S. P. C. D. S. DIANAE *locus ſacer*, *ſignum poni curauit de ſuo*, Neapoli, in palatio CARAFFAE: D. LD pro DD. L. *dedit liberis*, Lucenſe ſaxum: D. M. *diis Manibus*. quod etiam alia poteſt ratione exponi: D. M. S. C. P. *dies mali*, *ſequuntur cras peius*, MANVTIVS: D. P. S. T. L. *de pecunia ſua teſtamento legauit*, Romae, cis pontem Muluium: D. S. E. *de ſuo erexit*, quinto lapide a Florentia: D. S. F. P. C. *de ſuo factum poni curauit*, Vlyſſiponenſi in lapide: D. S. I. F. *de ſua impenſa fe it*: DVC. DVC. *Duce ducenario*: DVPL. ALAE. AVR. *duplicarius*, (miles cui ob virtutem duplex cibarium datur,) *alae Aurianae*

E. pro et, in Romae Subterraneae inſcriptione: E. E. I. Q. *exuuiae eius ibi quieſcunt*, GRATIOSVS: E. H. L. N. R. *eius hac lege nihil rogatur*, BRISSONIVS: E. I. M. C. V. *ex iure manu conſertum*

 voco;

voco; idem: EM. OL. II. *emit ollas duas*, Romae in museo Cardinalis Carpensis: ET. M. E. L. *et* MARCVS *et* LVCIVS, Braccarae in basi statuae: E. T. V. *ecce tibi vindicta:* MANVTIVS E. V. V. N. V. V. E. *ede vt viuas, ne viuas vt edas*, DIACONVS: EX. PPO. *ex Praeposito*, Anxuri siue Terracinae, in Caesareo templo: EX VOT. XXX. *ex votis tricennalibus*, in numis Imperatorum

ꟻ. siue ꟻ. *filia*, PROBVS: F. AB. HEREDIB. TEST. FIE. IVS. *factum ab heredibus testamento fieri iussit*, Brixiae, ad D. AGATHAE: F. C. E. T. F. I. *faciundum curauit et titulum fieri iussit*, in aede S. STEPHANI: F. C. I. Q. C. *faciundum curauit idemque probauit*, Cartagenae in Hispania circa macellum: F. D. Q. M. *flamen Dialis*, *Quirinalis*, *Martialis*, SARAINAS: FER. LAT. C. *feriarum Latinarum caussa:* ꟻ. ꟻ. *honesta femina*, SARAINAS; F. H. *fecit hoc*, Romae, in S. Saluatore prope Tiberim: F. L. F. *fieri lugens* aut *lubens fecit*, in Hispaniae oppido Padron: F. L. I. N. T. A. L. CO. M. ORD. PR. *felix liber iniunctus Notariis Tribunis*, *alaterculo continens mandata ordine Primicerii*, PANCIROLVS: F. M. D. D. D. *fecit monumentum datum decreto Decurionum*, Patauii in templo D. IVSTINAE:

F.

F. V. S. *fecit viuens ſibi*, in ſepulcralibus; vel *fecit voto ſuſcepto*, in Hiſpania prope Alcanteram

GA. *Galeria* ſcilicet *tribus*, SCALIGER: GA. *grauis*, PROBVS ERNSTII: G G. *gemina*, manuſcripta ZABARELLAE: GN. F. A. N. CNEII *filius* AVLI *nepos*: G. P. R. *Genio populi Romani*, in numis Imperatorum: G. T. A. *Genius tutelaris Aegypti*, VRSINVS

H. A. *hoc age*, qua ſollemni formula Praeco in capiendis auſpiciis vtebatur; PROBVS ERNSTII: H. D. S. *hoc* vel *heredibus dicauit ſepulcrum*, TRINAGIVS: H. F. H. N. M. *heredes fecerunt hoc noſtrum monumentum*, Romae, iuxta S. MARIAE ad fontes olei: H. H. S S. *heredes ſequuntur* Romae, apud OCTAVIVM PANTAGATHVM: H. K. N. *hanc pro aue cariſſime nobis*, CVIACIVS: H. M. D. M. H. *huic monumento dolus malus habeſto* pro *abeſto*, Romae in tabella H. M. H. N. V. *hoc monumentum heredes non accipit*, Beneuenti: H. M. H. N. S. N. H. H. *hoc monumentum heres non ſequitur*, *neque heres heredum*, in hoſpitali S. BERTRANDI: H. M. P. P. S. *hoc monumentum poſuerunt ſibi*, in Faliſcis, ciuitate Caſtellana: H. R. E. I. Q. M. E. A. *hanc rem ex iure Quiritum meam eſſe aio*: H. R. I. R. *honore receptus impenſam remiſit*, SCALIGER: H. S. EI. F.

F. L. *hoc sumtu eius fieri legauit*, Rauennae apud S. MARIAE in portu: H. S. E. T. F. I. H. F. C. *hic situs est, testamento fieri iussit, heredes faciundum curauere*, Moguntiae apud PHILIPPVM WOLFIVM DE KOSTENBACH Cancellarium.

IAN. CLV. IANVM *clausit*, in AVGVSTI ac NERONIS Imperatorum numis. IA.P. *intra pomerium*, id est principium quod erat post murum: I. A. P. P. *iure agnationis proximis potissimum*, CVIACIVS: I. C. *iudex cognitionum*, SCALIGER: ID. *Idus*, PROBVS; vel *iurisdictio*, MANVTIVS: I. D. M. *inferis diis manibus* aut *maledictis*, Zalatnae in Transiluania: I. D. T. S. P. *in diem tertium siue perendinum*, APPIANVS: I. F. C. A. *in foro Caesaris* AVGVSTI: MANVTIVS: I. FO. P. R. E. A. D. P. *in foro pro rostris et ante diem pridie*, MANVTIVS: IHC. IESVS: vel IHS. XPS, IESVS CHRISTVS. *ΙΗΣΟΥΣ nostri Latini*, inquit NANCELIVS, *per notas sic abbreuiasse possunt videri, et iam ita Gallice pingimus ΙΗS pro integro ΙΗΣΟΥΣ. Sic forsan rectius ΙΗσ, aut sic ΙΗC.* qua vna obseruatione duo PRVDENTII loci, qui in mendo videntur cubare, luce quadam suffundi ac interpretari possunt. Auctor DAVSQVIVS. II. O. M. IOVI *optimo maximo*, Curiae Pictae, vulgo Corbetae,

tae, in agro Mediolanenſi: III, *Tertio*, prope Timanum fontem, non longe ab Aquileia: IIIIRALICIS, *quadrum Viralicis*, in Bucephala oppido Macedoniae, vt SERTORIVS opinatur; ſed eo in monumento ſcriptum, IIII|R. LICIS: IMP. A. *Imperator augur*, in numis M. ANTONII *Triumuiri.* alias, *Imperator* AVGVSTVS: IMP. CAES. AVG. LVD. SEC. XV. S. F. *Imperator Caeſar* AVGVSTVS *ludos ſaeculares Quindecimuir ſacris faciundis*, in argenteo gentis Meſciniae plebeiae numo: IMP. CAES. DIVI. F. III. VIR. R. P. C. *Imperator Caeſar* DIVI *filius Triumuir reipublicae conſtituendae*, in AVGVSTI numis vigente adhuc Triumuiratu percuſſis: IMP. CAES. D. CLO. SEP. ALB. *Imperator Caeſar* DECIMVS CLODIVS SEPTIMIVS *Albanus*, in CLODII numis: IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. XI. CENS. POT. P. *Imperator Caeſar* DOMITIANVS *auguſtus Germanicus Conſul vndecimum cenſoria poteſtate perpetuus*, DOMITIANI in numis: IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. P. F. AVG. GERM. DAC. *Imperatori Caeſari* TRAIANO HADRIANO *optimo, pio, felici, auguſto, Germanico Dacico.* quam vt recte intelligas epigraphen, obſeruandum HADRIANVM TRA-

IANI patris cognomenta vſurpaſſe. IMP. CAES. VESPAS. AVG. P. M. TR. P. P. P. *Imperator Caeſar* VESPASIANVS *auguſtus Pontifex maximus Tribunitia poteſtate, pater patriae*, in VESPASIANI numiſmatibus: IMP. C. C. M. AVR. *Imperator Caeſar* CAIVS MARCVS AVRELIVS, PROBI numiſmata: IMP. C. M. Q. *Imperator Caeſar* MESIVS *quintus*, in TRAIANI DECII numis: IMP. XII ACT. *Imperator duodecimum Actiacus*, in numis Actiacam propter victoriam excuſis: IN. H. D. D. AVGG. *in honorem dominorum* AVGVSTORVM, Romae apud MARIVM DELFINIVM: IN. HERM. TVEND. *in hermam* (lapis eſt MERCVRII in faſtigio caput referens) *tuendam*, Mediolani in propyleo S. AMBROSII: I. O. M. D. CON. IOVIS *optimi maximi deorum conſentum*, Rauennae in aedibus RASPONIORVM; conſentes autem duodecim ſunt e maiorum gentium diis, a *conſo* id eſt conſulo condicti. I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. IMP. CAES. QVOD. PER. EV. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E. IOVI *optimo maximo Senatus populuſque Romanus, votis ſuſceptis pro ſalute Imperatoris Caeſaris; quod per eum reſpublica in ampliore et tranquilliore ſtatu eſt*, in argenteo AVGVSTI numo: I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D. *iudex ſacrarum cognitionum*,

num, *deuotus numini maiestatique eius dedicauit*, in monumento apud PANVINIVM I. V. EE. RP. F. S. V. C. *ita vt e republica fideue sua videbatur censuere*, BRISSONIVS

K. *est* CAESO *nobilissimi, fortissimique*, ita DAVSQVIVS infit, *apud Romanos nomenclatio. Non scribitur nota C, ne cum* CAIO *concurrat.* Ӿ. *carissima*, manuscripta ZABARELLAE: KAD. P. S. *Kadomi* (hodie ei est vrbi nomen Caen) *pecunia signata*, in HONORII numo aereo: K. CON. Θ. *carissimae coniugi defunctae*, in oppido Spitel in Carnia: K. QL. *Kalendae Quinctiles*, manuscripta RHODII

L. *laudabile.* quod Graecum refert morem, qui X pro χρήσιμον reposuerunt: LVCIVM insuper L significat, DIOMEDES ac BEDA auctores: I. C. I. C. I. C. I. O. M. S. *liberatus* CLODII *insidiis* CAIVS IVLIVS CAESAR, IOVI *optimo maximo sacrauit.* quae potior est FORTVNII LICETI siglorum horum, quae in lucerna habentur, expositio: LEG. AVG. PR. PR. *legato* AVGVSTI *Propraetori*, SERTORIVS: LEG. II. ITAL. VI. P. VI. F. *legio secunda Italica sextum pia sextum fidelis*, in GALLIENI numis aereis: LEG. XII FOLM. *legio duodecima fulminatrix.* cui legioni, ex Melitenis militibus, qui

CHRISTO fuere omnes addicti, coacto; inde est fulminatricis nomen impositum, quod, M. ANTONINO Philosopho regnante, aquam Romano exercitui et victoriam precibus comparauit. LEM. *Lemuria.* nefasti dies tres: L. G. P. F. *ludi Galli publice fecerunt*, in basi MARTIS Victoris, apud Batauos reperta: L. K. *lustrum Capitolinum.* quod quinto quoquo anno fuit conditum: L. Γ. LVCII *liberta*, Ameriae, in coquina fratrum S. FRANCISCI: LOC. H. S. C. P. S. *locum hunc sepulturae curauit proprio sumtu*, Neapoli in S. MARIAE maioris: LP. *Libripens*, id est Praefectus ponderibus, Graeci ζυγοστάτην dicunt: LVD. AP. *ludi Apollinares*, in kalendario. celebrati sunt III Nonas Quinctiles: LVD. CIR. *ludi circenses*, de quibus ONVFRIVS PANVINIVS exposuit; occurrit ista nota antiquo in kalendario: LVD. SAEC. *ludus saecularis*, in cuius die tertio, septem patrimae et matrimae virgines, ac totidem pueri nobiles carmen saeculare canebant: LVNARGENT. *lunargenteum*, id est vexillum luna argentea insignitum, Albae Iuliae inscriptio: LVPER. *Lupercalia*, PANIS dies festus, XV Kalendas Martii celebratus

NOTA *praenominis M. sola scripta* MARCVM *significat, et adiecta ad extremam literam virgula* MALLIVM. quae DIOMEDIS est

est obseruatio MAGG. SEPIN. *Magister Sepinatium.* Sepinum oppidum est in Samo: MAG. VIC. *Magister vici:* MART. CAR. MONET. MARTI, CARNAE, MONETAE scilicet *sacrum*, in kalendario antiquo. CARNA nascentibus praesidium qua internas corporis partes tulit; MONETAE nomen IVNO, aut a monendo; aut a diuitiis traxit. vtrique sacra Kalendis Iuniis fiebant. MATR. *Matrali* deae nuptialis MATVTAE sacra, quae III Idus Iunii fiebant. nota kalendarii est prisci. MEDITR. *Meditrinalia.* quae in deae MEDITRINAE, cui a medendo est nomen, honorem peragebantur: M. I. F. PETIT. *militiae ius filiis petitori*, Romae in palatio Cardinalis MEDICINI: MVNC. TAR. LIB. *municipii Taruisini libertus:* MV. TVR. *municipium Turiaso.* quae Tarraconensis est Hispaniae vrbs

N. *nota praenominis*, inquit DIOMEDES, cum *sola*, NVMERIVM *significat.* N. C. A. P. R. *nobis concessum a populo Romano*, in AVGVSTI CLAVDII et AGRIPPINAE numis: NEP. *Neptunalia*, VIII Kalendas Sextilis celebrata, ROSINVS: N. L. *non liquet*, ampliandi in iudiciis signum: N. P. C. *nomine proprio curauit*, Mediolani in foro: NVMVL. *Numularius*, id est qui numos permutat

O.

O. *obtulit*, Geneuae in vico *de la Iaerie*: O. *Optio*, quem Accensum olim dixerunt: OB. *obryzum*, id est aurum purum: OB. CIV. S. *ob ciues seruatos*, in AVGVSTI, TIBERII, CAII et aliorum numis: OL. D. D. Q. *ollam dedit dedicauitque*, in museo Cardinalis Carpensis: C. N. F. AD. HS. N. LX. MIL. D. F. D. I. P. *omnes nobis faciant ad sestertios numorum sexaginta mille, Decurionum fide diuidendos in publicum*: OPAL. *Opalia*, XIIII kalendas Ianuarii; OPIC. *Opiconsiua*, VIII kalendas Septembres, celebrabantur

P. *nota praenominis cum sola*, PVBLIVM *significat: et cum R posita populum Romanum: et subiecta R literae rempublicam: et praeposita C literae patres conscriptos* indicat. Haec DIOMEDES. PA. DIG. *Patricii dignitas*, MANVTIVS: PATR. REATIN. *pater Reatinorum*, nempe HERCVLES qui et SANCVS dicitur, apud MANVTIVM: P. C. O. S. V. T. I. *ponendum curauit ossuarium; sibi viuens tumulum instituit*, Metis apud PETRVM LEPIDVM: P. D. VI. AVG. PVBLIVS DECIVS *Seuir Augustalis*, Dertosae in Hispania: P. GALB. AE. CVR. PVBLIVS GALBA *Aedilis curulis*, in argenteis Sulpiciae generis numismatibus: P. I. A. V. P. V. D. *Praetorem iudicem arbitrumue postulo vti des*, BRISSONIVS: P. P. R. V. I. C. *pace*

pace populo Romano vbique parta, IANVM *clusit*, NERONIS in numis: P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. *populum iure rogauit, populusque iure sciuit; in foro pro rostris et ante diem pridie*, BRISSONIVS: POPLIF. *Populifugium*, cuius anniuersaria recordatio, ad diem III Nonas Iulias habita est: PORT. *Portunalia*, fiebant XVI Kalendas Septembris: P. P. *Pater Patratus*, fecialium princeps: PP. *Primipilus*, MANVTIVS: PP. G. *proposita gesta*, GVTHERIVS: P. P. P. P. E. S. S. S. E. V. V. V. V. V. V. V. F. F. F. F. *primus pater patriae profectus est, secum salus sublata est, veniet victor validus vincens vires vrbis vestrae ferro, fame, flamma, frigore*, SARAINAS: PRAEF. AVR. *Praefectus aurariarum*, auraria est tributi genus a CONSTANTINO institutum: PRF. PRT. *Praefectus praetorio*, Romae ad aquas Saluias: PR. K. *Praetor candidatus*, id est candidatus Praeturae: PROC. BYBL. *Procurator Bibliothecae*: P. S. *plebisscitum*, LAZIVS: P. V. S. T. L. M. *posuit voto suscepto titulum lubens merito*, Risingamiae in Northumbria

Q. *nota*, inquit DIOMEDES, *praenominis* QVINTVM *significat: item honoris Quaestorem indicat: nec minus populum cum ea notamus Quirites*. Q. C. P. R. B. R. *qui cum pace repositi bene requiescant*, in Ro-

Romae Subterraneae ſaxo: Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. DT. D. D. *quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo, teſtibuſque duntaxat decem poteſtatem faciam*, HOTOMANNVS: Q. I. I. T. C. P. V. A. F. A. *quoniam in iure te conſpicio, poſtulo vti an fias auctor*, PROBVS: Q.-H-VIR. *Quaeſtor Duumuir* Auguſtae Taurinorum, in domo PINGONII: Q. N. T. S. Q. P. *quando negas, te ſacramento quinquagenario prouoco*. Conſponſorum apud BRISSONIVM formula: QQ. COL. *Quinquennalitius coloniae*, in ripa fluuii Mariſſi, in Tranſiluania: Q. REX. C. F. *quando Rex* (Sacrificulus) *comitiauit vas*, quod VIIII Kalendas Aprilis et Iunii factum: QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. I. S. AD. AE. D. E. *quod viae munitae ſunt ex ea pecunia, quae iuſſu ſenatus ad aerarium delata eſt*, in argenteis AVGVSTI numis

RAT. S. R. *Rationalis ſacrarum rationum*, SCALIGER: R. CC. *remiſſio ducenteſimae*, facta a C. CALIGVLA, VRSINVS: ROB. *Robigalia*, VII Kalendas Maii ſecundum ſegetes peracta: R. XL. *remiſſa* (a NERONE publicanorum) *quadrageſima*, SATAMANTVS

S. perſola puncta SESTIVM ſignificat, PRISCIANVS. In Graecis SEXTVS et SERVIVS praenomina, tribus ſaltem lite-

ris

ris exarari PLVTARCHVS commemorat. quod in Latinis quoque valet. ∽. *centuria:* SACERD. COOPT. IN. OMN. CONL. SVRR. NVM. EX. S. C. *sacerdos cooptatus in omne collegium supra numerum, ex Senatus consulto*, in NERONIS numismatibus: SAT. *Saturnalia*, Romae XVI Kalendas Ianuarias habita. de quibus MACROBIVS ex instituto exposuit: SCDO. CSTΊL. *secundo Consul*, Treuiris ad S. Paullinum. SER. *serratus*, numus Manliae gentis, cui serra erat circumcirca impressa: SPEC. LEG. *Speculator legionis*, SCALIGER. nomen ei inde est quod eminenti e loco prospiciebat: S. Q. S. S. E. Q. I. N. S. R. E. H. L. N. R. *si quid sacri sanctique est, quod ius non sit rogari, eius hac lege nihil rogatur*, BRISSONIVS: SSTVP. XVIIII, *stipendiis decem nouem:* ST. *Senatusconsultum*, interdum *sententia constitutionis*. auctor CVIACIVS. STR. A.P.R. *strator a publicis rationibus*, Romae: S.T.S.B. *sit tibi semper bene*, extra Tarraconem: STVPED. *stipendium*, in hortis EVRYALI RVFINI ad busta, Gallica in arula. S. V. L. Q. V. V. B. E. E. Q. V. *si vos liberique vestri valetis bene est ego exercitusque valemus*, BRISSONIVS

T. solitarium TITVS est; TI. TIBERIVM indicat, PLVTARCHVS: L. TITA, Aricae in Hispania, in lapide translato ab

Atta-

Attaca: T. A. III. M. X. D. XXII, *vixit annis tribus, mensibus decem, diebus viginti duo*, Pataurii: TRB. VOLVP. *Tribunus voluptatum*, in Romae Subterraneae monumento lacero: TRVM. P. P. P. AELIOR. *trium* PVBLIORVM AELIORVM, Romae in S. IOHANNIS, ante portam Latinam: TVBIL. *Tubilustrium*, in quo tubae ſacrorum in atrio ſutorio luſtratae ſunt. cui ſollemnitati X Kalendas Aprilis et Iunii dicti fuerunt

V. *veteranus*, id eſt defunctus militia. Notat etiam V, VOLERVM et VOLVSVM praenomina: item VOPISCVM, quod eorum eſt praenomen, qui in vtero matris gemini concepti, altero aborto eiecto, alter incolumis editus fuerat: degenerauit aliquando in cognomen Auctor SERTORIVS. V. C. CONS. P. PRAEF. VRB. *vir clariſſimus Conſul publicus* (ni fallor) *praefectus vrbi*, Romae ante aedem COSMAE ac DAMIANI: VEST. *Veſtalia*, I Idus Iunii peracta: VICT. DD. NN. COL. ANTIOCH. *victoria dominorum noſtrorum colonia antiochia*, in GETAE numis: VICT. PAR. MAX. *victoria Parthica maxima*, SEVERI et CARACALLAE numi: VIN. *Vinalia*, VIIII Kalendas Maii in VENERIS honorem inſtituta; alia IOVIS ſunt in honorem habita: VOL. *Vulcanalia*, ſacra, quae IIII item X Kalendas ſeptem-

ptembres fiebant: VOT. SOL. DIBVS. INFER. L. M. *vota soluta diis inferis lubens merito*, Romae: VOT. V. *votis quinquennalibus*, HVLSIVS V. P. P. P. N. M. T. D. N. M. QVE. EIVS. SEMPER. *vir perfectissimus praefectus praetorio Norici mediterranei, deuotus numini maiestatique eius semper*, in Leybnicio castro Episcopi Seuouiensis: V. PRO. AN. LVI, *vixit prope annos sexaginta vnum*, in Kuendorffio Stiriae: V. VL. COR. *victori, vltori, corruscatori*, extra Clausenburgum: VXO. C. L. B. P. *vxori carissimae locus bene positus*, Romae apud Cardinalem Carpensem

X. VIR. AGR. DAND. *Decemuir agris dandis*; XV VIR. S. F. *quindecimuir sacris faciundis*, ZABARELLA: X. VIR. STL. IVD. *Decemuir stlitibus iudicandis*: XYRO, *Decemuiro*, Interamnae, ad D. IOHANNIS Babtistae

Y, *si in termino inueneris sub se fontanam proximam habet*: Z autem *a sinistra parte fontem significat*. auctores de limitibus agrorum. Iam plura si pernoscere scripturae compendia voles, euoluendus VALERII PROBI (b) *de Notis* liber: PETRI DIA-

(b) Habetur iste libellus, in PVTSCHII veterum Grammaticorum collectione, *p.* 1494.

DIACONI (c) *de Notis Literarum* ſcriptio; ac SERTORII potiſſimum VRSATI *de Notis Romanorum Commentarius*. (d) Notas autem ſtrictiori in ſignificatu ſumtas, in TVLII TYRONIS CICERONIS liberti, et ANNAEI SENECAE *Notis Romanorum veterum* (e) reperies

III

SPECTANT huc etiam notae, quibus in *menſuris ponderum* (f) deſignandis, veteres ſunt vſi; vt ∽ ſcripſerunt pro vncia: *S.*

1494. DAVSQVIVS eum ſuo de *Orthographia* libro, *Tom. I, Tract. VI, p. 173 ſ.* inſeruit; et notis etiam quibuſdam eundem illuſtrauit

(c) Apud PVTSCHIVM, *p. 1579.* qua etiam in collectione MAGNONIS *Notae Iuris, p. 1542,* exhibentur

(d) Edit Patauii Ann. 1622, typis PETRI MARIAE FRAMBOTTI

(e) Eruit iſtas e Bibliotaphiis, et Inſcriptionibus adiecit antiquis IANVS GRVTERVS. Ceterum, IOHANNES TRITHEMIVS CICERONI etiam librum de Notis attribuit, eumque a S. CYPRIANO, Cartaginienſium praeſule, multis et notis et dictionibus ampliatum fuiſſe refert

(f) Integrum caput de ea materie apud PRISCIANVM, *p. 1342,* legitur. Vide inſuper CIACCONII *Opuſcula in Columnae roſtratae Inſcriptionem, de Ponderibus Menſuris, Numis*, ed. Romae 1608

S. pro ſemuncia: S- pro ſeptunce: S= pro beſſe: S== pro dextante: S=-= pro deunce. ⊥ autem numi libralis aut aſſis nota eſt: ⊥⊥ dupondii: HS et ꞩꞩ et ⊥⊥S ſeſtertii, id eſt duarum ſemiſſis librarum: X et X denarii, ſiue decem librarum

IIII

NVMERORVM etiam notis, quarum formas a digitis deſumtas volunt, vtimur. Hinc quaedam de iis videntur praecipienda. Neſcio autem qui fiat, vt numerorum notis, linea, qua veteres eas oxornarunt, iam non imponatur. quum tamen frequens veterum vſus, in Orthographia inſtar regulae eſt. itaque ad minimum in minuſcula ſcriptura ea omittenda non erat. Sunt autem praeter eas quae hodie obtinent, aliis etiam veteres numerorum notis vſi, vt pro IIIIII, Tibure habetur ⊢:

CLAVDIA. RVFINA
IVLI. HERACLAE
ALLRG -- - AB. ORDINE
Z ⊢

⊢ AVGVSTALI
SENATVS POPVLVSQ
TIBVRS

Hic enim ⊢ AVGVSTALI, eſt pro IIIIII viro Auguſtali. Item ✗ eſt viginti: ✗✗ triginta. quem etiam numerum hac deſignarunt figura ⋯ : (g) ∼, ducenta: Ↄ, quadringenta: M, vel ∞, vel ⋯, mille: ⋯, quinque millia: Ψ, vel ⋯, vel ⋯, decem millia: Ψ ⋯, vel ⋯, vel ⋯, quindecim millia: ⋯, vel ⋯, vel ⊚, centum millia, Eum etiam in modum numeros deſignarunt Romani, vt ſingulis literis lineas impoſuerint, vt $\overline{A}$ indicat quinque millia: $\overline{B}$, tria millia: $\overline{C}$, centum millia: $\overline{D}$ quingenta millia. cet (h)

SECTIO

(g) Vid. SERTORIVM VRSATVM, *p.532*

(h) Vid. PVTSCHIVM, *p. 1686*

SECTIO V

DE FIGVRIS QVAE AD SCRIPTIONEM SPECTANT

I

GRAECVM σχῆμα, conuerti commode per figuram poteſt. Nihil itaque obſtat quo minus eo vocabulo vtamur. Sunt autem figurae duplicis omnino generis: aliae διανοίας, quae ad orationem bene moratam ſpectant: aliae λέξεως, quae ad loquelas, qua ordinem, literas et ſcriptionem, pertinent. (a) De illis quidem hic dicere nihil attinet: neque de his etiam vniuerſe ſumtis agam: ſed vnice de iis, quibus ſriptio eſt obiecta. Poſſunt illae omnes μεταπλασμῷ, tanquam formae ſubiici: ineſt enim μεταπλασμὸς eo; *quando aliqua loquela, ſecus eſt ac debebat figurata.* (b) idque plerumque euenit, quando aut metri ratio id ſuadet; aut elegantiae quid ei

 ineſſe

(a) Conſ. DIOMED. *Lib. II*, *p. 438*

(b) Ea etiam loquela in definiendo Metaplaſmo CHARISIVS vſus eſt. *Lib. IV*, *p. 248.* Conſ. DIOMEDES, *Lib. II*, *p. 435*: VALERIVS PROBVS, *Lib. I*, *p. 1417*, et DONATVM, *p. 1771*

inesse existimatur. Hinc iam mente et cogitatione poterit anticipari: hasce figuras, eum potissimum in finem tradi, vt purgari, ope earum, veteres scriptores possint: neque eas temere consectandas: nisi qua figura, ita vsu diuulgata sit, vt iam nihil habeat figurae, nisi nomen. Nec alienus ab ea sententia ISIDORVS (c) videtur fuisse, vtpote qui *μεταπλασμὸν*, *βαρβαρισμοῖς* annumerat: et nulla alia in re eos differre ab se contendit, quam vt hic in prosa oratione, ille in versu deprehendatur. Iam quod ad singularum figurarum nomina attinet, quae Graecae sunt originis; consultum esse non videtur, vt Latine reddantur: nemo enim quid tibi velis intelliget, vbi nominaueris *adiectionem*, *accessionem*, *assumtionem*, *sublationem*, *amputationem*, cet

II

ΠΡΟΣΘΕΣΙΣ, quum in vocis initio obtinet: vt primo etiam inter figuras loco commemoretur, aequum est. Est autem *πρόσθεσις* ea figura, aut iste potius *μεταπλασμὸς*, *cum primae parti dictionis aut litera*

(c) *Lib. I, Origin. cap. XXXI.* DIOMEDEM quoque meas in partes vocare poteram, quem vide, *p. 446*

tera, vt CHARISIVS (d) ait, *aut syllaba adiicitur.* In exemplis προσθέσεως literae, CHARISIVS, DIOMEDES, DONATVS et VALERIVS etiam PROBVS, vocabulum *gnatus* pro natus commemorant. (e) In syllabae πρόσθεσι, his prisci Grammatici exemplis vtuntur: *Concitum tetuli gradum*, (f) pro tuli: *adstans* pro stans. (g) Pergo ad παρένθεσιν, quam et ἐπένθεσιν vocant. quae *appositio* est, *cum inter primam et vltimam syllabam, aut litera adiicitur aut syllaba.* (h) Ad eam quae literae est παρένθεσιν, pertinet exemplum hoc: *Hac casta maneant in relligione nepotes*, (i) pro religione. Syllabae παρένθεσις est apud LVCRETIVM, his in verbis: *Indugredi sceleris quod contra saepius illa:* vbi *indugredi* pro ingredi

(d) *Pag.* 248. DIOMEDES duo προσθήσεως genera constituit; quorum vnum simpliciter per *adiectionem* finit *p.* 446

(e) Diffiteri non possum, mihi cum SCALIGERO et BECMANO videri, *natum* per ἀφαίρεσιν esse pro *gnatum.* quod legitur apud VIRGILIVM, *Lib.VIII Aeneid. v.* 510. Quam caussam alio in loco disserui

(f) TERENT. *Andr. V*, *v* 13

(g) VIRGIL. *Lib. II, Aeneid. v.* 328

(h) Vid. DIOMED. l. c

(i) Huc *fiet* pro sit, et *possiem* pro possim, quae apud TERENTIVM, habentur referenda

ingredi est: apud IVVENALEM *induperator* pro imperator legitur. *Interdum diducta*, vt ita cum VALERIO PROBO loquar syllaba, voci inseritur, vt, MAVORTIS *in antbrum*, et, *nauita*. Ceterum DIOMEDES (k) *hunc μεταπλασμὸν*, quosdam πλεονασμὸν *appellare* testatur. Insequitur προσπαράληψις, qua nouissimae syllabae alia adiicitur, vt, *admittier orant* pro admitti: *magicas inuitam accingier artes:* item *claudier*, *baberier*, *monerier*, *egredier*. (l) Eadem etiam figura παραγωγὴ, teste DONATO, dicitur. DIOMEDES autem pro diuersis eas habet: sed vtriusque, quam suppeditat, definitio eodem redit. Ἀφαίρεσις, vt ad hanc transeam, aut late sumitur, atque vniuerse detractionem notat: aut speciali in significatu spectatur; quando in vocis initio, aut litera, (m) aut syllaba demitur, vt, *ruit omnia late*, pro eruit, item *mitte* pro omitte est apud HORATIVM: *linquere castra*, pro relinquere: *temnere* pro contemnere, est apud VIRGILIVM Συγκοπὴν dicunt, si quid media e voce subripitur, vt, *extinxti te meque soror*, pro extinxisti, et, *vixet cui vitam Deus*, pro vixerit. Haec σελευκά; commodius est exemplum in *audacter* pro audaciter. Ἀποκοπὴν, vul-

(k) *Lib. II, p. 436*

(l) Conf. PAREI *Lexicon Plautinum*, in voce *Paragoge*

(m) Nullam literae, VALERIVS PROBVS in huius figurae definitione, mentionem fecit. l. c

vulgo ita finiunt, eam esse μεταπλασμὸν, *qua loquelae quaedam in fine pars detrahitur.* Placet autem hac in re VALERII ἀκρίβεια, qui duplicis omnino generis ἀποκοπὴν esse contendit: aliam quae *vltimae aliquid parti auferat*: aliam, quae *imminuat* (n) loquelae finem. Atque ad hanc speciem refert illud Virgilianum: *Aspice num mage*, pro magis: ad illud hoc: *Non suam do*, pro domum. Est autem subinde ἀποκοπὴ in his; *dic*, *duc*, *fac*, *fer*: in *exin* apud VIRGILIVM: in *victu* pro victui, apud CATVLLVM legitur: *viden*, *videstin*, *audistin*, TERENTIO atque PLAVTO familiaria sunt. Διαίρεσις siue διαζεῦξις, ea est figura, quando *in duas vna syllaba diducitur*, vt, *diues pictai vestis et auri*, pro pictae: *terrai frugiferai*, MARTIALIS: IACOBVS pro IACOBVS, CLAVDIANVS habet. Συναλοιφὴ, συναίρεσις siue κρᾶσις, contraria est διαίρεσι figura, qua, quae esse seiunctae syllabae debebant, in vnam conglutinantur, vt, *fixeris aeripedem ceruam licet*: *aëripedem* enim quinque syllabis dici, vt CHARISIVS monet, fas est. Ita quoque HORATIVS, *ingeni*, pro ingenii: *negoti* pro negotii, TERENTIVS; VIRGILIVS, *oti* pro otii; *tuguri* pro tugurii, legunt (o)

 Ἀντι-

(n) *Pag.* 1438

(o) Videtur insuper duabus in vocibus haec figura obtinere, vt, *sodes*

Ἀντιθέσεως, haec ratio est, vt vna litera alterius vice ponatur, vt *volnus* pro vulnus, apud LVCRETIVM: *optumus* pro optimus, apud CVRTIVM. Inprimis autem vsu venit, vt in tertiae et quartae coniugationum participiis, V pro E reponatur, vt *gerundus* pro gerendus; *faciundum* pro faciendum in TERENTII scriptis: *diuidundis* pro diuidendis, VELLEIVS PATERCVLVS: *experiundis* pro experiendis CICERO, habent. Qua de re quaedam infra commemoraui. Μετάθεσις iustum literarum ordinem turbat ac peruertit, vt *Thymbre* apud VIRGILIVM pro Thymber: EVANDRE pro EVANDER. (p) Τμῆσις, est vnius loquelae, in vna plures partes diuisio. vt est apud VIRGILIVM: *Septem subiecta trioni*, pro septentrioni. Atque hanc quidem figuram apud priscos Grammaticos non inuenio: sed habet omnino aliquid suauitatis, si in loco adhibeatur. vt in VIRIGILII verbis his: *Quae me cunque vocant* terrae, et apud CICERONEM: *Per mihi gratum feceris*. Ceterum veteres Grammatici, συστολὴν quoque, ἔκτασιν et συναλοιφὴν in μεταπλασμοῖς commemorant: quae ad Prosodiam retulerim. Προσθήσεων autem παραλλαγή, quam pariter his annumerant, ad Syntaxin pertinet

ANAKE-

des pro si audes: *sis* pro si vis

(p) VOSSIVS istas voces pro vocatiuis habet

INDEX
SCRIPTORVM RERVM ET LOQVELARVM

A

Accur-

muta-

CEDRE-

Comma

D

quando

F

F

G

differt

mutae

M

M

MER-

NICAN

P

quo

Sylla-

T.

speci-

Vnci

PYTHA-


BIBLIOT. A GABR. LAUSAN
LIBERTÉ ET PATRIE



